M

IOH. CHRISTIANI
BACHOVII
TRACTATVS
IVRIDICO-
HISTORICVS
DE
SEPVLCRIS,
COEMETERIIS,
ALIISQVE
LOCIS SACRIS
ET
RELIGIOSIS,
ILLARVMQVE
IVRE,

GOTHÆ,
APVD IACOBVM MEVIVM,
Ao. M DCC XXV.

PRÆFAMEN.

Lector benevole.

OPuſculum præſens qua mente conſcripſerim, quaque ex cauſa in vulgus protruſerim, multi erunt qui ignorabunt, plures qui de fine meo ſiniſtre judicabunt. Sed mihi perinde, ſ. lauder ab his ſ. culper ab illis; penes plebem eſt diſputare, penes ſapientes decidere & ferre ſententiam. Ne vero in illorum referendus ſim numerum, qui factorum ſuorum rationem reddere neſciunt, jam quid intendam paucis ſum expoſiturus. Scias itaque L. B. me nec ambitione, nec ſuperbia, nec arrogantia, nec etiam faſtu ductum lucubraſſe, conſcripſiſſe, ac in vulgus edidiſſe quæ in ſequentibus reperies paginis, verum hac ſolum-

modo mente, ut partim evincam, me in academiis non fruſtra conſumſiſſe paternum ſalarium, nec in auras docuiſſe, meos doctores, aut lapidi dixiſſe, quæ mihi propoſuerunt; partim autem uiam monſtrem & oſtendam methodum, qua memoria bene de Republ. meritorum & pie defunctorum penes poſteros apte poteſt tueri virorum. Agedum! permittam me totum & præſentem meum laborem B. L. tuo iudicio; emunctæ ſi fueris naris, ſecundum æquitatem & juſtitiam pronunciabis ſententiam, ſi vero ultra vulgus non ſapies, & Zoilum tamen ſectaberis, nihil non inuenies quod perſtringere atque carpere queas; interea tamen certo credas, me nec laudem tuam reddere poſſe elatiorem, nec de-

tre-

trectationem & vituperium ignauiorem aut magis iratum. Hoc vero eo potius tibi persuadere potes, quia a teneris assuevi tam generoso contemtu convicia, quæ sæpe non rara fuere, negligere; quam laudes exteras æquo animo perferre, & tanquam alienas intueri: quippe perinde fuit, si maledicus me perstringeret, si assentator blandiretur. Non quidem me fugit, hoc ipsum præfamen de me male sentiendi suppeditaturum esse ansam atque occasionem; sed quid interest? eo ex fonte meditationes meas typis imprimi curo, ut lectores disputandi & judicandi habeant materiam. Nec obstat, quod obtrectatores multi sint & aduersarii, qui ex Iunone nubem & ex nube Iunonem producere satagunt, i. e. qui, si fieri

possset, me ad metallum aut in opus publicum damnarent, vel alia acriori pœna, ex qua nescio causa & methodo, afficerent. Sunt, sufficit, tales, qui me vel vanæ laudis studio ducti deprimere, vel cæca invidia præsule expellere, vel alia spuria causa jubente ludibriis vilissimæ plebis exponere student; sed frustra. Sibilent tales scioli, cachinnentur, victoriam iactent; s. vincant s. vincantur, gloriæ habebunt parum, commodi nihil; quippe potior debellans ignobiliorem vix & ne vix quidem micam laudis fœnerabitur. Sit denique ut sit; s. opusculum præsens meum cum applausu suscipiatur, s. respuatur cum despectu: sufficit, me conscripsisse illud nulla alia ex causa, quam ex supra citatis, nulla alia mente, quam pia & pie defunctorum manibus devincta, nulla alia methodo, quam in scholis eruditorum recepta. Hæc sunt L. B. quæ procemii loco monenda judicavi: restat itaque nihil, quam ut me istumque meum laborem Tibi commendem, nil magis in votis habens, quam ut valens favere velis

Tuo addictissimo

Autori.

Elen-

Elenchus Capitum
Tractationis Generalis.

Tractationis ſpecialis.


Tractat.

Tractatio Generalis

De

Rebus Religiosis.





Cap. I.

De rebus ſacris, ſanctis & religioſis.

RUBRICÆ.

§. 1. *Summa rerum omnium diviſio.*
§. 2. *Unde apud Romanos ortum traxerit.*
§. 3. *Quid ſint res ſacræ.*
§. 4. *An proventus Eccleſiaſtici referendi inter res ſacras.*
§. 5. *An inter has numeranda monaſteria.*
§. 6. *An legata ad pias cauſas.*
§. 7. *An ſtipendia ad ſuſtentationem Clericorum ordinata.*
§. 8. *An ſalaria Canonicorum.*
§. 9. *An eleemoſynæ.*
§. 10. *Quid ſint res ſanctæ.*
§. 11. *An huc referenda theatra publica.*
§. 12. *An Scholæ.*
§. 13. *An loca juſtitiæ ſ. dicaſteria.*

A §. 14.

§. I.


Mnis omnino juris quod sancitum est & in posterum sancietur objectum allegatur ab Imperatore Iustiniano §. *ult. I. de I. N. G. C.* potissimum triplex, personæ scilic., res & actiones. Primum & ultimum hac vice prætermittam; dicturus solummodo de

de medio. Aggressurus autem contemplationem rerum, sciendum, quod illarum denominatione comprehendantur omnia quæ opponuntur personis, s. sint animata, s. inanimata; s. corporalia, s. incorporalia. Summa vero quarumvis rerum divisio innotescit nobis *ex l.* 1. *pr. ff. de* D. *R.* ubi JCtus scribit, *quod illæ sint vel humani juris, ideoque aut publicæ, aut privatæ; vel divinæ, & sic aut sacræ, aut sanctæ, aut religiosæ.* Porro hæ quæ humani dictæ fuerunt Juris *l.* 2. *h. t.* subdividuntur in res communes & universitatis; quæ enim adjecta de iis quæ nullius sunt huc non spectant, sed rectius referenda ad alterum divisionis membrum, de quo mox facta est mentio. Clarius & dilucidius exponitur hæc divisio in libr. J. & illorum Commentatoribus, ubi omnes res dicuntur esse vel in patrimonio nostro, vel extra illud constitutæ; & quidem priores sunt aut communes, aut publicæ, aut universitatis, aut singulorum; posteriores vero nullius, quibus præter eas quæ adhuc in naturali degunt liberate atque

à nullo sunt captæ vel occupatæ, præcipue annumerantur res sacræ, sanctæ atque religiosæ.

§. 2.

De generalis hujus divisionis origine multis verborum ambagibus disputare labor sane esset frustraneus, quia partim cuivis politioris rationis usu gaudente nota illa debet esse atque perspecta; partim à quamplurimis scriptoribus satis est enucleata; partim denique ad obtinendum finem propositum nil facit. Ast cur quædam res extra patrimonium nostrum & nullius esse dicantur instituti ratio exponere hac vice jubet. Patescet vero hoc facile exinde, si enarravero, quod penes gentes haud paucas præcipue autem & inter R. dii colebantur uno plures, quibus singulis certa loca, munera & res dicabant. Sic, ut reliquos taceam, Jupiter supremus erat rerum humanarum arbiter, Olympi director, religionis præfectus, nec minus omnium deorum princeps. Neptunus maris incola, mercatorum navigantiumque patronus, cum quo Saturni filius

forte

sorte divisit imperium. Idem quoque contigit Plutoni, qui inferorum ab illo constitutus est rex, nomen suum nactus ἀπὸ τῶ πλέτων, quia opes omnes ab inferis, h. e. ex intimis terræ visceribus eruuntur. Deorum istorum, ut ex dictis apparet, triplicem finxerunt ordinem, alios appellitantes superos, alios medioximos s. medios, alios autem inferos. Prioribus concesserant certas res ab ipsis nominatas sacras, alteris alias nuncupatas sanctas, ultimis itidem non easdem vocatas religiosas. *Conf. Natal. Comit. mytholog.* Hæc itaque omnia in nullius erant nec poterant esse potestate, cum læsio & vindicatio illorum pro crimine læsæ majestatis divinæ reputaretur, ideoque impunita non erat. Sic origo quidem istius divisionis non utique est laudanda; idcirco vero distinctio ipsa neutiquam rejicienda, sed, quia ad servandum in hoc negotio ordinem multum confert, mutatis solummodo mutandis in constitutione ac consecratione hujusmodi rerum, atque abolitis ritibus superstitiosis, potius retinenda.

§. 3.

Expositurus itaque in hoc cap. re-

rum quæ nullius esse dicuntur tractationem, haud immerito de istis quæ sacrarum nomine gaudent sermonis faciam initium. In genere autem hic monendum, quod vox sacer debeat accipi in sensu stricto atque propriissimo, & sic illorum interpretatio, qui rem magnam atque eximiam ab aliis minoris ac tenuioris conditionis per istam voculam discernere consueverunt, id quod allegat & exponit *Limnæus L. i. C. VII. I. Pub.* recitans causas ob quas Imper. Rom. German. dicatur sacrosanctum, huc minime referenda, cum nobis sacer idem significat quod vernacula appellat heilig; v. g. die heilige Drey-Einigkeit, das heilige Wort GOttes, die heiligen Sacramente. In hoc igitur sensu natales suos trahit vox sacer à sacrare s. consecrare; & consecratio est actus, quo res vel persona ab usu & ministerio seculari separatur, & ad usum vel ministerium cultus divini atque SS. liturgiæ immediate destinatur, adhibitis solennitatibus, quæ in diversis ecclesiis sunt diversæ. Omnia itaque hoc modo quæ ab usu com-

communi distincta & Deo trinuno fuerint dicata, s. sint mobilia, ut vasa sacra, vestes sacræ &c. s. immobilia, ut templa, altaria, baptisteria, sunt dominio exempta, inviolabilia, & perpetuo vocantur sacra. *l. 6. §. 3. ff. de D. R.*

§. 4.

Quia igitur formalis ratio rerum sacrarum in eo consistit, ut immediate usui divino inserviant & in nullius sint dominio, facile exinde liquet, quod inter has nequaquam referri debeant proventus aut bona ecclesiastica *l. 22. pr. C. de SS. Ecclef. t. t. X. de reb. Eccef. non alien.* Hujusmodi enim bona pertinent præcipue ad conservationem, restaurationem atque reparationem Ecclesiarum, & idcirco sunt in illarum dominio, quippe sine quibus cultus divinus externus facile potest subsistere atque exerceri, si vel plane in hac aut illa parochia non existant, vel ex certis causis debeant alienari, quippe quæ alienatio urgente necessitate Episcopo est concessa. *l. 17. §. 1. C. de SS. Eccles.* Nec obstat R. JCtorum, quod accessorium sequatur naturam rei principalis;

lis; primo quia illa non est universalis, sed admittenda solum cæteris paribus, nisi quid novi s. exceptio emergat, qualis est *in l.* 9. § 2. *ff. de A. R. D.* & etiam hoc loco, uti id patet ex *l.* antea *c.*; dein quia etiam ecclesiastica bona, si accuratius rem penetrare velimus, non possunt dici accessorium rerum sacrarum, sed potius referenda ad peculiare quoddam genus; non enim proveniunt ex iis, verum noviter ordinantur, constituuntur, atque dicantur.

§. 5.

Quid autem statuendum de monasteriis? Ortum suum illa habent à priscis temporibus Apostolorum, quibus Christiani Hebræi ex disciplina Pythagorea ab Essenis recepta certum continentiæ institutum in Ecclesia Alexandrina introduxerunt, vi cujus quædam personæ in Eremis ac speluncis seorsim morantes statis horis in unum convenerunt, ut jejuniis & precibus Deum placarent iratum, ne permitteret gentilibus, ut vexationibus suis omnes exstirparent Christianos, *Chemnit. Exam.*

Conc.

*Conc. Trid. P.*3. *p.* 113. *Duaren L.* 1. *de D. E. M. c.* 20. *seqq.* Alii intra mœnia urbium privatosque parietes ad idem vitæ genus incumbere anxie studebant; idque ad hoc usque tempus, quo rebus ecclesiasticis pacatis exstruebant ædes publicas, in quibus certi homines utriusque sexus alebantur, eo fine, ut Deo inservirent, licentia foras vagandi ipsis ademta; quæ domicilia asceteria, cœnobia, aut monasteria appellitabantur. *Nov.* 131. *C.*7.& 133. *Concil. Mogunt. C.*20. Quia itaque hæc solummodo sunt receptacula illorum, qui sejuncti à reliquis hominibus cultui divino se totos dicarunt, nemo non videt, quod inter res sacras æque minus referenda ac aliorum Clericorum domicilia, uti id facillime & quam optime liquet ex antea dictis. De templis autem in hujusmodi monasteriis exstructis & asservatis in istis vasis, quæ sint statuenda, per se notum est, ideoque hoc loco quæ enarrata repetere plane supervacuum.

§. 6.

Ast num non legata ad pias causas nomine rerum sacrarum sunt insigni-

enda? Deſcribuntur hæc, quod ſint donationes m. c. eccleſiis aliisve piis corporibus relictæ eo fine, ut vel templa exinde reparentur, vel ſalarium Clericis ſolvatur, vel ſtipendia ad litteras incumbentibus porrigantur, egentibus proventus quotannes expendantur, & ſic ulterius; ideoque nec cultui divino immediate inſerviunt, nec dominio ſunt exemta, nec inalienabilia, ac eodem ex capite rerum ſacrarum denominatione minus digna *Concil. Tol. IV. C. 32. C. 8. X. de conſecr. Eccleſ.*

§. 7.

Perinde eſt in ſalariis ad ſuſtentationem Clericorum ordinatis. Sunt autem Clerici perſonæ ad ſacra miniſteria, ſ. functiones eccleſiaſticas obeundas per ordinationem ab eccleſia quæ conſtituuntur. *Diſtinct. 21. c. 1.* His, quia ex aliis negotiis victum quærere non licet, utique ſunt certa concedenda ſtipendia, nec non proventus ex adminiſtratione SS. liturgiæ obtingentes, quo ſe ſuamque familiam alere nutrire atque tegere queant, idque ex effato Apoſtoli *Galat. 6. v. 6. & 1. Corinth.*

9. v.

9. v. 14. ubi scribit, *annunciantes evangelium etiam ex evangelio vivant.* Interea tamen hujusmodi salaria nequaquam res appellitandæ sacræ, nec ad eas referenda ex rationibus jam supra citatis.

§. 8.

Pergo ad stipendia Canonicorum. Canonici sunt personæ quæ secundum canones præscriptos tum generales tum speciales debent vivere; gaudentes tamen præ cæteris sui ordinis Clericis, quatenus capituli sunt membra & socii regendæ ecclesiæ, prærogativa; præterea etiam laxiori regulæ inservientes quam monachi; quippe ob functiones publicas inter homines versantur, nec semper suis habitaculis inclusi vivere tenentur, uti id docet *Innocent. III. c.* 5. *de stat. monach. Caus.* 19. *q.* 3. *C.* 2. 3. *c.* 9. 10. *X. de regular.* Ad horum sustentationem, quia itidem ut reliqui Clerici victum suum aliunde quærere nec queunt, nec debent, sunt etiam ordinata quædam stipendia, quæ in patrimonio constituta capituli, & sic res sacræ minus juste vocari possunt.

sunt. *C.* 8. *X. de consecr. Eccles. Carpz. L.* 2. *de s. Eccles.* 307.

§. 9.

Succedunt eleemosynæ. Referendæ hæ inter res & bona ecclesiastica, quippe antiquissimi primique reditus ecclesiæ Christianæ, quibus ministri verbi & fratres egeni sublevabantur *Act XI. v.* 29. *seqq. Rom.* 15. *v.* 25, 26. *&* *seqq.* 1. *Corinth.* 16. *v.* 1. *seqq.* 2. *Corin.* 8. *v.* 4.; & ex quibus ecclesiasticorum bonorum cumulus ad satietatem usque excrevit. 2. *Corint.* 9. *v.* 12. Hæ itaque s. colligantur privatim à singulis, s. publica autoritate indicantur, nec naturam, nec requisita rerum sacrarum habent, ideoque & peculiari jure gaudent, peculiaremque tractationem desiderant. *Vid. l. c.* Nec obstat, quod in *Constit. Crim. Carol. V. art.* 173. eleemosynæ appellitentur sacræ, quippe vocula ista in hoc ariculo non in sensu strictiori accipitur, sed latiori potius & improprio; in quo reliquæ etiam res, quarum tractatio insequetur, quam sæpissime sacræ nominari solent.

§. 10.

§. 10.

Addi quidem hic possent plura de decimis scil., reditibus annuis, bonis ecclesiæ dotalibus & dote, aliisque huc spectantibus, quæ omnia generali vocabulo bona ecclesiastica & in ecclesiarum dominio existentia dicuntur; sed quia partim instituti ratio brevitatem suadens prohibet, partim quæstionum quæ exinde moveri possent decisio ex antea dictis facillime fieri potest, merito me nunc converto ad illas res quæ sanctarum nomine à reliquis discernuntur. Inquit autem *Ulpinus l.* 9. §. 3. *ff. de D. R. proprie dicimus sancta quæ neque sacra, neque profana sunt, sed sanctione quadam sunt confirmata, ut leges sanctæ sunt; sanctione enim quadam sunt subnixa:* Sic itaque *l.* 8. *pr. h. t.* res sanctæ describuntur, *quod sint ab injuria hominum defensæ atque munitæ*, allegantúrque tam *in h. t.* quam *§.* 10. *l. de R. D. & l.* 2. *ff. nequid in loco sacro* exempli causa muri & portæ civitatis; quippe quæ cuncta impune & invito principe nec transcendere nec violare, nec domicilia in iis exstrue re

licet

licet, *l.* 2. *ne quid in loc sacro l.* 2. *& ult. ne quid in loc publ. Conf. Limnæ. Jus Publ. L. VII. c.* 1.

§. 11.

An huc referenda theatra publica, non immerito ex me quis quæret; cui affirmative haud nequeo jure respondere. Sunt enim theatra publica hujusmodi loca, in quibus vel spectacula exhibentur populo, vel de quibus leges per præconem promulgantur civibus, vel etiam alia ad salutem civitatis spectantia ipsis annunciari solent, ideoque ad bene esse quorumvis incolarum constituta, potestati & injuriæ privatorum exemta, peculiari sanctione munita, ac eadem de causa sancta. *arg. l. c.*

§. 12.

Num vero & scholæ ejusdem vocandæ naturæ paucis hic explicare operæ pretium est. Describuntur hæ, quod sint collegia in quibus adolescentes discendi cupidi à Professoribus & magistris in literatura, quæ omnium virtutum magistra est, informentur, ut iis legitimo spatio peracto possint

Eccle-

Ecclesiæ & Reipub. partes gubernandæ concredi. *Justin. proœm. Inst.* Nunc quidem scholæ antiquis ecclesiis erant adjunctæ, ut in earum qualibet, sicut & in monasteriis, juventus erudiretur in pietate & bonis literis ac moribus; *Concil. Mogunt. c.* 45. *Laderan. C. II. Duaren. L. I. c.* 15; Sed moribus nostris id observari vix solet, cum ad instruendos imbuendosque bonis artibus juvenes ædificia plerumque ab ecclesiis separata inveniantur. In istis itaque quia ceu in seminariis tam Rerumpub. gubernatores & directores, quam Ecclesiarum præfecti atque presbyteri aluntur, nutriuntur & educantur, nec minus tam viri politici quam Clerici ipsis plerumque solent præesse, mixti generis jurisque scholas esse non immerito statuam, referens illas ad bona & res Ecclesiasticas *C. quia contingit 2. Clement. de relig. domib.*, nec non ad res sanctas, partim quia certis sanctionibus a quorumvis petulantia sunt munitæ; partim quia ad bene esse totius Reipubl. potissimum confert, ut scholæ constituantur, in quibus juvenes imber-

berbes à sceleribus arceri & ad discendas fideliter artes compelli queant; maxime vero quia jus constituendi scholas ad summam Reipubl. & Ecclesiæ potestatem pertinet. *Steph. de Jurisdict. l. 3. P. 2. C. 2. n. 215. Seckendorff. T. F. St. 2. 14. Carpz. l. 2. def. Eccles. 8. 9. & l. 2. def. Eccles. 396. 7.* Academias autem, quia, licet itidem in his æque ad Ecclesiæ & Reipubl. salutem adolescentes educentur ac informentur, Clerici qua tales nihil in eas juris habent, cum solummodo à summa in Republ. potestate dependent, & à nemine nisi ab hac sola leges ac statuta recipiunt, nec ecclesiæ factorum actorumque rationem reddere tenentur, quin ab ipso Imperatore certa sanctione defenduntur in *authentic. habita C. ne fil. pro patre*, potissimum inter res sanctas esse numerandas non nisi jure profiteor.

§. 13.

Quid autem æquius huc referendum quam loca justitiæ s. dicasteria? Contemplaturi istud negotium evolvere debemus quot modis vocabulum judicii accipiatur: denotat nimirum vel

vel actionem institutam, vel tractationem causæ s. processum, vel locum in quo jus dicitur. *Stryck. ad. Lauterb. de judic. &c.* Ultima hæc acceptio ad nos solummodo spectat, qua de causa haud immerito in principio hujus §. præterea & usus sum vocula dicasterium, quæ ortum suum trahit à δικάζειν jus dicere, & hoc à δίκη jus s. justitia; ideoque describitur, quod sit certus & circumscriptus locus à summa in Republ. potestate constitutus & separatus ad hoc, ut in eo judex s. magistratus competens causas à partibus litigantibus ventilatas secundum regulas juris & justitiæ ita decidat, ut cuique id quod jure ipsi competit tribuatur. Est utique justitia maxime necessarium requisitum ad conservandum florentem atque felicem in civitate statum; quippe exulante hac nemo a socii injuriis tutus vivere & rebus suis tranquille utifrui valet, quare & à JCtis Iprudentiæ finis vocatur intermedius, quia hoc non obtento nec remotus nec proximus subsistere & attingi poterit. Ad exercendam autem justitiam, quæ à

variis autoribus varie describitur, sat nitide vero ab *Aristotele Lib. 5. Eth. c. 1.* necessario requiritur, ut adsint Rerumpubl. gubernatores gaudentes facultate jus dicendi, ac ut isti certa quasi consecrent loca, in quibus cives conveniant, & ab ipsis justitiæ administrationem atque executionem expetant; quæ utique ab omni injuria ac violatione immunia & sancta esse debent.

§. 14.

Hoc exposito sequentis quæstionis, an scil. loca in quibus solet executio fieri in maleficos, vulgo **die hohen Gerichte oder Raben-Steine**, catalogo rerum sanctarum sint inserenda, decisio est facillima. Ad obtinendam justitiam, quam §. antec. requisitum ad tuendam salutem publicam dixi maxime necessarium, pertinet præcipue, ut leges sanciantur & defendantur, *l. 1. ff. de JJ*; Facta egregia, pia ac honesta præmiis afficiantur, & sic cives ad eadem exercenda instigentur *l. ead.*; iniqua autem facinora promeritis pœnis compescantur, quo cives timeant *l. c. & tt. ff. de pœn.*; quin ii qui emen-

dan-

dandi plane non sunt e medio tollantur, ne reliquos coinquinent, secundum tritum illud Poetæ:

Cuncta prius tentanda, sed immedicabile vulnus
Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.

Excisio itaque hujusmodi putridorum membrorum, si finem ob quem decerni solet princeps assequi studebit, non debet fieri clam aut in loco abscondito, sed in publico ac omnium conspectui exposito, ut quivis videant ac expavescant. *Lauterb. ad ff. de pœn.* Vocantur autem hujusmodi loca, in quibus delinquentes malefici capite plectuntur, Germ. Hohe Gerichte, ea de causa, quia jus vitæ & necis, s. jus enecandi facinorosos homines refertur ad regalia majora, s. superioritatem territorialem, quæ sancta & inviolabilis perpetuo debet esse; vel etiam appellitantur Raben-Steine, quia in iis cadavera punitorum propter atrocia delicta ad cibandum corvos aliaque ex rapina vivere quæ consueverunt volatilia plerumque projiciuntur; aut quia in his nefarii & pestiferi homun-

ciones qui victum suum ex furtis ac homicidiis corvorum instar quærere non erubuerunt capite plectuntur. *Conf. Carpz. Crim. qu.* 131. *n.* 27. *Heig. P.* 2. *qu.* 37. *n.* 32. Sic, ut ego quidem existimo, satis liquet loca executionum maximo jure ex numero earum rerum recenseri, & ad illas referri, quas JCtus sanctas vocare solet, cum nefas sit hujusmodi loca profanare ac violare, impunitumque vix maneat, quippe princeps eum, qui ipsius regalia istisque quovis modo cohærentia ac ideo firmissima sanctione munita attentare haud dubitat, utique graviter punire tenetur.

§. 15.

Sequuntur statuæ publicæ, vulgo Rolandinæ dictæ, de quibus pauca huic tractationi inserere non alienum duxi. Erectas videmus istas in multis urbibus Saxonicis, nec non quandoque aliis earumque confiniis in forma viri gladium gestantis & quandoque etiam thorace induti, qui ab incolis vocatur der Roland. Origo atque historia hujusmodi statuarum à variis autoribus allegatur varia; quippe quidam

dam affirmant, Rolandum dici à Germ. vocula rügen, quæ idem denotat ac denunciare, accusare, judicare s. plectere, quia statuæ tales plerumque in istis locis sint sepositæ, in quibus ultimo supplicio malefici afficiuntur; alii asserunt, natales suos trahere Rolandum à vocabulo rotten oder ausrotten, & esse signum fruticum sylvarumve excisarum & ædificiorum urbiumve in earum locum exstructarum; alii defendunt denominationem à Rohe vel Ruhe, ut sic Rolandus locum quietis, pacis & libertatis indicare debeat; reliqui orgĩnem istiusmodi statuarum adscribunt Caroli Magni sororis Berthæ filio Rolando, in cujus honorem, quia heros eximiæ magnitudinis fuit, civitates quarum confinia peragravit tales statuas erexisse dicuntur *Vid. Gryphiand. de Weichbild. Saxon. Conring. de urbib. Germ. c.* 71. Quæ illarum vera sit origo quisque pro judicio suo optime eruet; nec hoc loco istud exacte definire ad rem facit, cum sufficit, in locis publicis atque sanctis eas esse positas, consensu omnium ac principis

 auto-



autoritate ab injuriis nefariorum hominum munitas, ideoque iis rebus, quarum tractationem hucusque absolvi, haud immerito anumerandas.

§. 16.

Addendum adhuc paucis, quod omnia ac singula loca communi totius civitatis s. universitatis usui dicata, quocunque nomine in specie gaudeant, generali vocabulo rerum sanctarum ab istis quæ in patrimonio privatorum constituta discernenda sint atque separanda; ita, ut nulli hæcce impune violare, per præscriptionem aut alio modo vindicare, alii usui quam ad quem ab initio destinata applicare, vel iis citra specialem civitatis aut illius directoris concessionem inædificare sit permissum *argum. l. 2. ff. ne quid in loc. publ.*

§. 17.

Omnia quæ hucusque commemoravi, hac de causa sunt allegata, ut transitus ad enucleationem rerum religiosarum eo sit facilior, & ut oppositis juxta se positis, i. e. enarrata sacrorum & sanctorum natura, clarius elucescat quid sit locus religiosus. Dicitur de hoc §. 9.

l. de

l. de D. R. & *l. 6. ff. eod.* quod talis fiat per illationem mortui pro uniuscujusque voluntate; quæ olim hoc modo procedebat, ut cadavere dejecto demissove in speluncam sacerdos publicus solutis justis ter injiceret glebam super tumulum; quo facto corpus humatum, sepulcrum constitutum, & locus religiosus effectus putabatur. Vocatur autem religiosus exinde, quia vel nulli profanum aliquid ibi perpetrare impune licet, vel quod propter sanctitatem quandam remotus ac sepositus à nobis est, ideoque à relinquendo dictus, vel quia religio ossa defunctorum asservari & custodiri suadet. *Spondan. de cœmet. L. 1. P. 1. cap.* 9. Præterea de variis in sepeliendis cadaveribus usitatis ritibus, nec non modis locum religiosum consecrandi penes Hæbreos, Latinos, Græcos, Persas, Ægyptios, aliasque gentes plures, quia fusius hic differere instituti ratio vix permittit, evolvatur hanc materiam exponens *Nicola. de sepulcr. Hebræor. Gyrald. de sepultur. ac var. sepel. rit.*

§. 18.

Nunc quidem more prisco licuit cuivis mortuum defodere ubi libuerit, & sic locum religiosum efficere ubique, exceptis solum iis regionibus, in quibus expressa lege id erat vetitum *l. 6. ff. de D. R. l. 2. ff. de relig. & sumt. fun.* Merito autem recentiori ævo hoc fuit correctum, ita, ut funus inferre non liceat nisi in locum publicum ad sepulturam cadaverum destinatum, idque iis ex causis, ne occulta possint esse infanticidia aliaque dolosa homicidia; ne insciis civibus cujusque universitatis defuncti humentur, sicque nemo vere sciat quis in vivis adhuc superstes, aut quis de statione sua discesserit; & ne passim sepultis corporibus äer inficiatur putridis humoribus *C. 3. X. de sepult. Ziegler. ad Lancel. eod.* §. 1. Præterea quia sepultura, ut loquitur Homerus, honor est mortuorum, aut ut Virgilius, solus honos Acheronte sub imo, vel uti Cicero, maximus est qui haberi potest mortuo, nec non, ut denique Ammianus, supremitatis honor: & naturalis æquitas, & ratio Poli-

Politica quosvis extinctos & publice & in loco publico defodere jubet, bene de Republ. meritos bonosque cives eo quidem ex fonte, ut publica ac honesta splendidaque illorum humatio famam penes posteros promeritam tueatur, atque superstites ad æmulationem incitet; uti & mos ille Romanis usitatissimus *Liv. L.* 1. *Valer. Maxi. L.*4. *C.* 4.; facinorosos vero atque cives deperditos hac de causa, quo inhonesta aut asinina ut loquitur J. Can., illorum sepultura reliquos deterreat, ipsis autem pœna sit æquissima. *Conf. C.* 3. *X. de sepult. Carpz. l.* 2. *def. Eccles.* 382. 1.

§. 19.

Quia itaque loca religiosa s. cœmeteria ad id constituuntur, ut sint receptacula, in quibus ossa demortuorum custodiri debent ac asservari ad eum úsque diem, quo leo rugiens quosvis à mundi exordio qui vixerunt ex speluncis suis evocabit, facillime liquet, nudam destinationem ad sepeliendum neutiquam talia efficere; sed necessario requiri, ut mortuus inferatur, & sic per hujusmodi illationem ille quasi

consecretur atque ab injuriis hominum liberetur ac muniatur: glebæ enim injectio aliique ritus, quos paulo ante recitavi, penes nos necessarii non sunt, cum sepe accidit, ut funera condita in arculis seponantur solummodo in certis cameris aut fornicibus religiosis.

§. 20.

Effectus autem autoritate publica locus religiosus impune iterum profanari non debet; partim ne inquietentur corpora in illo sepulta *l. 39. ff. de relig. & sumt. fun.*; partim quia per humationem exemtus est dominio & factus est nullius, ideoque nec profanari nec distrahi potest *l. 9. C. de relig.*; partim quia contra humanitatem & decorum peccat, concessa a majoribus piorum manibus sepulcra disturbare, diruere, & ossa recondita nudare, atque sic illorum quibus vitam debemus facta ac instituta pia quasi reprobare; quin J. N., quod tibi non vis fieri, alteri ne facito, regulam procaciter violare, à qua protervia & gentes abhorruisse relatum legimus. Decretum enim

enim non ſatis laudandum Athenienſium, qui hos capite plecti voluerunt, quorum crudelitas ad ſepulcra usque penetraret. Miranda Caroli V. clementia, qui Ferdinando Albano & Epiſcopo Atrebatenſi an. 1547. efflagitantibus, ut Lutheri tumulus dirueretur, & cadaver effoſſum cremaretur, ſat prudenter reſpondit: *nil ſibi ultra cum Luthero eſſe; habere illum alium judicem; ſibi bellum non eſſe cum mortuis, ſed cum ſuperſtitibus & armatis. Meiſner. in deſcript. Eccleſ. colleg. omn. ſanct. Witteb. pag.* 143.

§. 21.

Hæc dicta in genere ſufficiant de cœmeteriis ipſis: pergam ad iis quodammodo cohærentia; & primo loco perquiram, quid ſtatuendum de templis in illis quæ exſtructa reperiuntur. Conſueverunt priscis temporibus gentes quam plurimæ ſepulcra majorum ſuorum aliorumque virorum illuſtrium variis ornamentis externis condecorare. Ad hæc præcipue referimus *ſtatuas, L. 7. C. de relig.*; quas ponere ſolebant tom proprias, quam amicorum

rum

rum *Plin. l.* 730.; *columnas, Sveton. in vit. Jul. Cæs. c.* 85; *pyramides, Jo. Fäes animad. in* Gyrald.*p.* 206.*seqq.*; *obeliscos, Jo. Fäes p.* 211.*seqq.*; *colossos, Joseph. l.* 1. *Halos. c.* 16.; *epitaphia, Quensted. de sepult. vet. p.* 305.; & imprimis *altaria, sacella ac templa, Virg. L.* 3. *Æneid. Senec. epist.* 86. *Pausan. l.* 11., *Statius l.* 6. *Thebaid.* Ista igitur omnia, quia immediate in defunctorum honorem vergebant; siquidem gentes per exstructionem altarium præsertim atque sacellorum singularem pietatem, religionem ac æstimationem, qua humatos venerabantur, indicare studebant, rebus religiosis tanquam accessoria non inepte annumerari posse haud sine fundamento affirmare audeo. *Spondan. de cæmet. L.* 1. *P.* 1. *C.* 13. Quid autem de templis nostro ævo locis religiosis inædificatis statuendum sit incertum quodammodo videtur; mox vero patescet, si enarravero, in illis vel solummodo laudes mortuorum decantari; vel destinata esse ad exhibendum in his promiscue debitum Numini supremo cultum, & cœmeteria iis tantum

tum

tum ceu accessorium esse adjuncta: priora referenda inter res religiosas facile quisque dignoscet, quia mutato cœmeterio regulariter cessant, cum istius causa potissimum sunt exstructa; posteriora vero ex numero rerum sacrarum esse nemo negabit, cum locus religiosus & alibi potest constitui templis ibi asservatis, præterea etiam naturam sacrarum rerum habent, quæ supra citata *ex* §. 8. *J. de* D. *R. & l.* 9. *ff. h. t.*

§. 22.

Num & arbores, vites aliique frutices in cœmeteriis plantati religiosarum rerum denominationem mereantur in tractatione hac paucis perquirere libet, cum dubia multis videbitur decisio. Defendent quidam sententiam affirmativam, allegantes sæpius citatam regulam: accessorium sequitur naturam sui principalis; Laudabunt alii negativam, demonstrantes, esse hujusmodi res in dominio, cum illas vendere ac alienare liceat, præterea etiam æditui aut vespillonibus earum competat usus fructus. Decisio non

non adeo difficilis erit, si distinxero inter arbores ferales, quales sunt piceæ & cupressi, quæ, quia semel cæsæ nunquam amplius repullulant, in signum mortis à priscis gentibus pro foribus ædium in quibus quis erat defunctus ponebantur, nec raro in nostris cœmeteriis plantantur; & inter arbores frugiferas aliasque hujusmodi respectum haud habentes, quarum poma sæpe vespillonum pars sunt stipendii, impune cæduntur, alienantur & venduntur, cum in dominio principis aliusve jurisdictione in res religiosas gaudentis sint magistratus, ac nec ad esse, nec ad bene esse cœmeterii spectant: illæ nullius atque religiosæ, hæ vero minus recte tales vocandæ. *Conf. Spond. de cœmet. L. 1. P. 3. C. 6. Gyrald. de sepultur. &c. c. 6. nec non Jo. Faer adnot. ad h. C.*

§. 23.

Pergo ad ædificia in cœmeteriis exstructa reliqua, quæ sunt præcipue habitacula vespillonum, & receptacula feretrorum, vulgo die Bahr-Häuser. Priora, quia ad inhabitandum sunt constituta, ideoque rebus religiosis immedia-

mediate non inserviunt, eaque de causa ad illarum conservationem aut protectionem non adeo sunt necessaria, quin præterea salvis cœmeteriis mutari, destrui atque dirui possunt, huc minime refero; sed bene posteriora, cum in iis ad deportanda defunctorum cadavera destinata feretra asservantur, ideoque usui religioso inserviunt, ac ista de causa rerum religiosarum naturam induunt. Eadem sane mihi videtur illorum ratio, quæ ædiculorum sepulcris impositorum allegatur a sæpius laudato *Jo. Fäes in adnot. ad Gyrald. C.* 2.

§. 24.

Sufficiant hæc in genere enarrata de cœmeteriis publicis, ex quibus nemo non illorum necessitatem atque finem facillimo negotio eruet, præsertim si repetiero passim quæ antea sunt citata; quod scil. loca religiosa sint constituenda ac consecranda ideo, ne dolosa homicidia atque infanticidia impune possint esse occulta; ne facinorosorum pœnæ præmatura & sæpe sponte accersita morte possint

sint impediri; ut bene de Republ. meritos æquissimus honor etiam post obitum tueatur; ut ultima defunctorum facta etiam civibus sociis innotescant; ut denique posthumi qui fuerint majores quæque illorum conamina ex cippis possint dijudicare atque dignoscere, nec fama eorum tam cito ceu fumus vacuas evanescat in auras. Acquiescam itaque hic, finem impositurus præliminaribus, s. si mavis dicere', tractationi generaliori, & perrecturus ad specialiora, quæ pro modulo virium in seqq. Cap. fusius exponam.



Cap. II.

De Constitutione Cœmeteriorum, & ubi regulariter debeant constitui.

RUBRICÆ.

§. 1. *Constitutio cœmeterii pertinet ad regalia.*
§. 2. *Nemini competit quam principi.*
§. 3. *Potest tamen fieri per magistratus inferiores.*
§. 4. *Cœmeterium regulariter non debet esse in civitate.*
§. 5. *Ne civitas magis repleatur mortuis quam vivis.*
§. 6. *Ne pestiferi morbi ex putrefactione cadaverum oriantur.*
§. 7. *Debet esse in loco plano & undis non exposito.*
§. 8. *Debet esse in loco aëri exposito.*
§. 9. *Cœmeterium debet esse reclusum.*
§. 10. *Cœmeterium debet esse satis amplum.*
§. 11. *Arboribus non nimis debet conseri.*
§. 12. *Cui competat ususfructus cœmeterii.*

§. 1.

QUemadmodum corpus humanum florere desinit resecto capite, sic societas, s. si mavis dicere civitas, nullo modo subsistere potest si destituatur Principe, qui pie, prudenter atque felici cum successu illam regat ac gubernet. Hic itaque eminere præ cæteris, & gaudere certis prærogativis, quæ vulgo appellitantur regalia, utique debet, si finem ob quem institutus est atque ordinatus cum fructu assequi studebit. Denominationem autem suam illa trahunt, ut Feudistarum quidam arbitrantur, ex rege & adverbio Græco λίαν, aut ut alii putant, à rege & Germanica vocula Lehen; ac describuntur utplurimum, *quod sint jura superiorem non recognoscenti, & cui ille expresse vel tacite ea concessit, competentia ad salutem decusque Reipubl. tuendum Sweder. J. Publ. P. Spec. Sect. I. C.* 4. Distinctio illorum tritissima est, quod sint vel majora, vel minora; aut quod competant in Imper. Rom. German. vel Imperatori soli, vel Imperatori & Electoribus, vel in-

insimul omnibus reliquis statibus; in quibus singulis enarrandis tempus frustra tereretur, cum citata illa reperimus à variis I. P. Scriptoribus, præsertim *Limnæo*, *Vitriario*, *Bœclero*, *Swedero*. Hac itaque vice sufficiat paucis demonstrare, jus constituendi cœmeteria referendum esse inter regalia. Quia utique ad Reipubl. salutem spectat, ut omnia ordine fiant decoro atque decenti; ne in vivis superstites bestiarum more vagentur, vel defuncti passim & pro lubitu humentur, aut, quod pejus, in plateas projiciantur; principis est omnino, in quavis re civitati cui præest ita prospicere ut obtineat propter quem institutus est finem, quia præter hunc nemini id licet nec confinit, cum quivis destituatur & autoritate, & hoc efficiendi potentia. Quid imperanti ratione tuendæ atque defendendæ societatis incumbat, & quomodo civitas apte sit gubernanda, hic explicare non est mei, cum hanc tractationem fusius exponentes *Grotius*, *Puffendorfius*, *Reinkingius* aliique plures facile possunt evolvi: hoc vero

asserere audeo, principem cum fructu præesse haud posse civitati, ni id curet, ut consecrentur loca quædam publica s. cœmeteria ad defodiendum cadavera defunctorum, idque ex caussis jam supra citatis, & præterea etiam hac, quia, sicut in reliquis negotiis civilibus omnibus, ita & summa rerum ecclesiasticarum æque ac sepulturæ ordinandæ potestas non nisi ad imperantis regalia est referenda. *Schilt. Instit. J. Canon. L. II. T.* 14.

§. 2.

Nunc quidem satis nota allegatur regula Philosophorum: unius positio non est alterius exclusio: sed veluti reliquæ, sic & hæc suas habet exceptiones, quæ variæ possent recitari, ni præsens ipsa tractatio talem suppeditaret. Competit quippe principi jus constituendi cœmeteria publica soli, & quidem exclusive, ita, ut nonsolum actus privatorum istud sibi vi vel clam vindicantium nulli sint, nec effectum juris nanciscantur; verum etiam ipsi tanquam turbatores prærogativarum majestaticarum merita & æquissima

pœna

pœna afficiantur, cum, uti dictum est, nulli concessum sit pro sua libidine aliquid machinari, ordinare aut instituere quod concernit totius Reipubl. incolumitatem atque salutem, ideoque illius præfecto soli est demandatum.

§. 3.

Ast ex hoc neutiquam colligendum, acsi principi sit ademta potestas per magistratus inferiores cœmeteria publica consecrandi, quia jus hoc ipsi solummodo nec alii competat. Neminem enim qui legum peritus vocari ambit fugiet, quod jurisdictionis suæ plerosque actus imperans per judices subordinatos exercere sit solitus, cum vix fieri queat, ut ipse immediate singulis rebus prospiciat; qua de causa magistratus alios substituit, qui ex ipsius commissione negotia obvenientia decidunt, ac ea procurant, quæ lex suprema & ultima, salus scil. populi, desiderat. *Rutger. Ruland. de commiss. Berlich. decis.* 128. 129. 133. Interea tamen hoc juri principis majestatico nihil derogat, summa penes ipsum remanente potestate; quippe secun-

dum ſulgatam regulam, quod quis per alium facit per ſe feciſſe putandus eſt. Sic, ut ego quidem exiſtimo, nemo negare poterit, quod, ſicut alii jurisdictionis actus, ita & conſtitutio cœmeterii publici abeo qui clavum in Republ. tenet poſſit demandari judicibus extraordinariis atque ſubordinatis.

§. 4.

Hæc quidem ſufficiant de loci religioſi cauſa efficiente, ſ. eo qui poteſt talem dicare: pergam ad locum in quem funus inferendum, & in quo cadavera regulariter ſunt humanda. Licuit illud priſcis temporibus, uti jam ſupra demonſtratum, tam in privatorum fundis *l. 6. §. 4. ff. de D. R.*; quam in civitate & intra illius mœnia *arg. d. l. & l. 3. pr. ff. de mort. infer.*, pro uniuscujusque voluntate, unde & ortum ſuum traxit larium atque penatum religio, de quá gentilium ſcriptores multum ſunt commenti. *Conf. Nicol. de ſepulcr. Hebræ. cap. XIV.* more autem noſtro nec conceſſum eſt clam aut in loco proprio defunctos infodere *arg. C. fraternitatem 3. x. de ſepult.*; nec in civi-

civitate sine speciali principis jussu atque autoritate sepulcrum ædificare, cum id jam vetitum *LL. XII. Tabul.*; & confirmatum interdictum per SCsultum Duillio consule quod in lucem prodiit *Conf. L.* 12. *C. de relig.* Sunt itaque mortuorum reliquiæ condendæ in fundis extra urbem positis; isque qui intra illius cancellos funus infert merito pœna, plerumque arbitraria, afficiendus; quæ olim statuta erat 40. aureorum, uti id refert *Ulpianus l.* 3. §. 5. *ff. de sepulcr. viol.*, *Divus*, inquiens, *Hadrianus rescripto pœnam statuit quadraginta aureorum in eos, qui in civitate sepeliunt, quam fisco inferri jussit; & in magistratus qui sunt passi eandem, & locum publicari jussit & corpus transferri.*

§. 5.

Prohibitæ autem in civitate sepulturæ præter has rationes, ne scil. mortui sanctum municipiorum jus aliquo modo contaminarent, vel civitatis sacra funestarent *l. mortuorum* 12. *C. de relig.*; ut transeuntes suburbanos tumulos viatores ad laudes defunctorum

accenderentur, monerenturque ad præclara facinora obeunda, *Cic. Orat pro Archi. Poët*; & ne cives hostem in patria sepulcra impune grassari permitterent, sed alacriori animo ipsum à mœnibus urbis propellerent, *Thom. Garzon. in Piaz. univers. discurs. 43. fol. 514.*, etiam adhuc binæ possunt allegari causæ, quarum prior est, ne civitas magis repleatur mortuis quam vivis. Describitur enim illa, quod sit societas major conflata ex multis in unum cöeuntibus familiis, hoc fine, ut, quia segreges à nefariorum hominum injuriis tuti esse vix queunt, conjunctæ eo felicius se possint tueri. Ideo facile liquet, quod se includant mœnibus non ista de causa, ut mortuos intra illa infodiant, sed ut vivi se muniant atque contra hostium incursus defendant: si itaque vellent cadavera promiscue ibi humare, brevissimo temporis spatio eventurum esset, ut plures enumerare possent tumulos & receptacula defunctorum quam viventium, ac eadem ex ratione cancelli intra quæ degunt non urbes s. si mavis civitates sint ap-

pel-

pellitandæ, sed majori jure cœmeteria, cum secundum vulgatum illud semper denominatio fit à potiori ; potior autem est numerus illorum qui ex vita discesserunt, quam istorum qui adhuc sunt superstites.

§. 6.

Altera interdictæ in urbibus humationis causa allegatur prægnantior ; quæ est, ne pestiferi ex putrefactione cadaverum oriantur morbi. Quando enim intra mœnia mortui sepeliuntur, facillime accidere potest, ut äer, præsertim conclusus, vaporibus è sepulcris exhalantibus vitietur; quippe halitus tanto copiosiores propullulant, quanto locus est magis inclusus, & ob hominum confluentium frequentiam tepidus. Ut non dicam de arena s. sabulo & terra, in qua cadavera mortua plura computruerunt, quæque per annos quamplurimos solent retineri, ita, ut tota in qua recondita sunt materia non tantum fœtida, sed etiam venenata quasi reddatur, ideoque vapores exinde prodeuntes ad vivos exhalare necesse sit, quando monumentis

apertis sabulum istud movetur & effoditur. Hoc malum ex putrefactione cadaverum subortum Alexandrum M. eximii magistri Aristotelis præceptis imbutum fugere non poterat, qua de causa, cum ad vicum Arbelam Darii exercitum fudisset, ex metu vitii äeris eo in loco amplius subsistere noluit, sed versus Babylona ut prudentissimus imperator castra movit. *Diodor. Sicul. L. XVII. Bibliothec.* Ne igitur nostro ævo, quo homines & sic etiam defuncti sunt frequentiores quam priscis temporibus, tam facile pestiferi morbi irrepere queant, atque sic Respublica, cujus salus, uti & alibi dictum, imperantibus suprema lex esto, in discrimen vocetur, quam prudentissime cautum est, ut cadavera in locis suburbanis terræ committantur.

§. 7.

Sic demonstratum est remotive cœmeterium non constituendum esse in urbe; nunc edocebo positive in quo loco sit ordinandum. Debet ille eligi separatus ab hominum commercio, qualem & olim petiit Abrahamus ad sepul-

ſepulturam ſuæ conjugis *Geneſ.23.v.9.* planus, nec variis clivis aut vallibus diſtinctus, ne ſpatium coarctetur, & multa loca vacua relinquere opus ſit, in quibus propter turbatam collibus planitiem ſepulcra ædificari nequeunt; porro & minus aquis expoſitus, quia inundatis tumulis ſæpe accidere poteſt, ut abluta terra cadavera emergant, & ſic reliquiæ pie defunctorum inquietentur, quod tamen vetitum jam *LL. R.* oſtendi ſupra *ex l. 39. ff. de relig.*; quin etiam latex corporum putrefactionem atque in elementa ſua reſolutionem, quæ tamen præ cæteris & vera humationis eſt cauſa, mirum in modum impedit. Hinc relatum legimus, quosdam majorum noſtrorum præcipue primates ex ſtatione ſua & vita deceſſuros id potiſſimum efflagitaſſe, ut poſt obitum ipſorum cadavera calce viva circumdarentur, ne forſan illorum corruptio, ſi in locis multis liquidis humoribus repletis defoderentur, longius juſto differretur.

§. 8.

Debet porro cœmeterium conſecrari

crari in regionibus aëri ſat expoſitis, ut ille noxios ex tumulis prodeuntes vapores poſſit diſpergere, ne aura ætherve inficiatur. Licet enim illud ſit remotum à domiciliis viventium, ii tamen quam ſæpiſſime in hoc conveniꝛe ſolent, ſi ſcil. juſta demortuis perſolvere majoribus & illorum cadavera ad conſummationem usque hujus ſeculi terræ aſſervanda committere volunt; & idcirco facile ex putridis atque olidis vaporibus poſſent contabeſcere, ni illi expellerentur per liberos minusque recluſos aëris meatus. Ea de cauſa veterum mos fuit ſepeliendi *in agris; Gen.* 23. *Math.* 27, *v.* 7, *Valer. Prob. de not. Rom. p.* 27.; *in montibus*, qualis fuit tumulus *Aaronis*, *Num.* 20. *v.* 28. *Joſuæ*, *Jos.* 24. *v.* 30. *Virg. XI. Æneid. v.* 849. *Joh. Loccen. antiquit. Sue.Gothic. p.* 113. *in vallibus, Deut.* 34. *v.* 6.; *ad vias publicas*, *Gen.* 35. *v.* 19. & ſic porro, quia hujusmodi loca aëri ſatis ſunt expoſita, atque ſic minus timenda vaporum detentio venenatorum, qui variorum poſſunt eſſe cauſæ morborum.

§. 9.

§. 9.

Pergam ad reliqua, demonstraturus, quod cœmeteria non debeant esse patula, sed propter nefariorum & deperditorum civium libidinem reclusa. Uti enim jam supra edoctum est, receptacula sunt illa in quibus ossa defunctorum ad extremi diem usque judicii asservanda, quia pietas majorum manes etiam post obitum venerari, & illorum reliquias quibus vitam & existentiam ex instituto divino debemus sancte custodire jubet; quo intuitu tumulorum, in quibus istæ sunt reconditæ, eximiorum quæ ediderunt recordemur facinorum, & ad decentem instigemur æmulationem. Ne itaque Catalinariæ pravitatis complices, qui sine ulla religione & fide in mortuos etiam desævire non erubescunt, cadavera humatorum inquietare, aut epitaphia & statuas illis positas proterve vitiare vel plane destruere; ac ne porro vagantes bestiæ ossa sepulta effodere illaque conterere possint, æquitas naturalis & ratio Politica cœmeteria s. dormitoria publica obserare atque reclu-

recludere jubet. Sic penes Hebræos ſepulcra tres habuiſſe partes relatum legimus, ne quisque pro lubitu ea potuiſſet intrare; quarum prior dicebatur atrium, altera os intra ſpecum, ultima ſpecus ipſa cum ſuis כוכין. *Nicol. de ſepulc. Hebr. L.* 3. *C.* 11. Quin ſervatoris noſtri tumulus eadem de cauſa erat lapide obtectus *Marc.* 15. *v.* 46. Hinc etiam R. priſcorum ſepulcra quam ſæpiſſime cryptas ſ. loca occulta, abſcondita aut obſerata vocari à ſcriptoribus, paſſim poteſt evolvi in *Paul. Aringh. Rom. ſubterran.*

§. 10.

Sed ut nihil ad rem ſpectans prætermittam, monebo adhuc, quod cœmeteria non nimis coarctata ſed ſatis ampla debeant eſſe; idque eo ex capite, ne nimis cito mortuis conſerantur, & ſic cadavera præmature iterum ſint effodienda. Major enim ut notum numerus eſt illorum qui decedunt, quam iſtorum qui ſuperſtites manent, ideoque etiam ad receptaculum demortuorum ſpatium ita expanſum requiritur, ut nullus in dormitorio ſuo

ſatis

ſatis arcto turbari, ſed quivis quietus atque humatus relinqui debeat; quod bene obſervatum inter quamplurimas gentes reperimus. Hinc ut reliqua omittam, autor Rom. ſubterran. mox laudatus *Tom.* 1. *L. II. C.* 2. *n.* 3. non ſine fundamento ſcribit: *ſubterraneam prope totam & arenariam Romam eſſe, atque ampliori ambitu ejusdem latitudinem magnitudinemque circumſcribi ac protendi, quam ipſiusmet ſuperioris ac conſpicuæ circuitus protendatur.* Allegat idem amplitudinis locorum ſepulcralium penes R. exemplum *Tom. I. L. IV. C.* 28. *n.* 15. ex quibus omnibus evidenter liquet, majoribus qui ante nos deceſſerunt aſſertum hic quod defendi ſatis fuiſſe probatum.

§. 11.

Ex hactenus dictis nemo non videbit, contra cœmeteriorum finem eſſe nimis multas in iis plantari arbores. Appoſuere quidem gentiles tumulis mortuorum cupreſſum; plantavere præterea piceas aliasque arbores ferales, cujus inſtituti ratio ex *Spondano* jam alibi eſt citata; qui mos & penes moder-

nas

nas gentes passim est in usu: sed hortos quasi & sylvas in dormitoriis suis ipsos constituisse nullus qui hac de materia disseruit scriptor commemoravit. Esset ac utique hoc valde absonum atque absurdum, cum imæ truncorum radices se brevi tempore ita solo essent implicaturæ, ut cadavera vix & ne vix quidem possent defodi, & sic mutata cœmeterii forma istud non raro mutare maxime sit necessarium, quod tamen nec æquum, nec justum, nec salutare est, uti id partim jam demonstratum, partim in sequenibus edocebitur.

§. 12.

Seriis quia, uti condiendi cibi sale, jucunda quandoque sunt inferenda; quippe ex effato Comici:

Lusus animo debet aliquando dari,
Ad cogitandum melior ut redeat tibi;

in vitium nemo mihi vertet, quod huic tractationi ludicram, ut multis videbitur, annexerim quæstionem de usufructu cœmeteriorum. Agedum: cui itaque competit rerum religiosarum ususfructus? His ipsis, quia in nullius dominio sunt & à nemine queun:

unt præscribi aut aliquomodo acquiri, utifrui vix poterit; accessoria autem, ceu sunt vites arboresque rariores, nec non herbæ graminaque in cœmeteriis progreminantia, cum in constituentis dormitoria commercio existant, pro illius lubitu facile possunt in usumfructum concedi cuilibet. *arg. t. t. de usufr.* Nostris moribus id in multis locis est receptum, ut hujusmodi res pertineant ad æditúos aut vespillones; nec inepte; quippe illis custodia rerum religiosarum commissa, ideoque emolumentum inde proveniens minimi sæpissime momenti iisdem neutiquam denegandum, cum præcipue *secundum naturam est, commoda cujusque rei eum sequi quem sequuntur incommoda l. 10. ff. de R. J.*

Cap. III.

De personis in cœmeterio humandis.

RUBRICÆ.

§. 1. *An omnia cadavera humanda.*
§. 2. *Quæ honeste sepelienda.*

§. 3. *Quæ honesta sepultura indigna.*
§. 4. *An omnes mortui in cœmeterio humandi.*
§. 5. *An diversæ religionis homines in cœmeterio sepeliendi.*
§. 6. *An hæretici.*
§. 7. *An Judæi.*
§. 8. *An Mahumetani.*
§. 9. *An gentiles.*
§. 10. *An in torneamentis, pugna cum bestiis, aut alia privata occisi.*
§. 11. *Intra quod tempus sepulcra iterum liceat aperire.*
§. 12. *An gratis concedenda loca sepulcralia.*
§. 13. *An humatio debeat fieri gratis.*
§. 14. *An vespilloni salarium debeat ordinari.*
§. 15. *Quam culpam præstet vespillo in cœmeterio & huic adjunctis custodiendis.*
§. 16. *An vespillo sit levis notæ maculo notatus.*
§. 17. *Qua pœna afficiendus vespillo spolians cadavera humatorum.*

§. I.

INter alias quas à majoribus enarrare possumus proditas nobis sententias non sine nitore & allegatur hæc: *Felix Respublica quæ carere potest medicis.* Tam misera proh dolor! rerum humanarum conditio, ut muta-

mutationi perpetuæ ſingula ſint ſubjecta, uti id innumeris poſſet edoceri exemplis, ſi inſtituti ratio efflagitaret, ac ſpatii anguſtia permitteret. Imprimis hoc maxime admirandum, quod perfectiſſimum omnium creatorum ens, hominem puto, & fragilitati, & mutationi, & corruptioni præ reliquis ſit obnoxium, ita, ut robur infirmitas, gaudia mœſtitia, divitias paupereis, quin ortum occaſus quam ſæpiſſime concomitetur, ideoque conditionum noſtrarum perduratio atque conſtantia requieſcat in inconſtantia. Ex hoc deſcendit, quo reliqua taceam, ut nulla Reſpubl., nulla civitas, nulla ſocietas, nullum denique individuum ope periti medici poſſit carere, qui collapſuram machinam corporis humani quotidie fere fulciat atque reſarciat. Nihilominus tamen parum ille demum proficiet, appropinquante à ſeculorum exordio præfixa ad diſſolutionem conglutinantis materiale ac immateriale vinculi hora, nec Galenus, nec Hippocrates, nec alius Medicorum anteſignanus ab extremo omnium rerum, quod

Cicero mortem esse ait, nos liberare valet. Soluto autem naturæ debito denique patescit quid fuerimus, & quid futuri simus; quippe corpora nostra quæ circumgestavimus quotidie magis magisque in nihilum suum ex quo desumta redire, putrefieri, & cum tali fœtore dissolvi incipiunt, ut in vivis superstites, nisi quam diligentissime ab eo caveant, exinde necessario debeant contabescere ac emori. Jubet itaque ratio politica & salus publica cadavera defunctorum semovere atque ita è medio tollere, ut malo ex illorum detentione aut in loca quævis promiscua projectione timendo obviam eatur; quod olim fieri solebat per cremationem, cùm majores reliquias demortuorum rogo hac de causâ exstructo imponerent, illasque eo accenso igne comburerent, de quo ritu passim varia occurrunt in *Aring. Rom. subterr. Spondan. de cœmeter. Gyrald. de var. sepel. rit.* aliisque pluribus scriptoribus, qui diversarum gentium in hoc negotio usitatos recitarunt mores. Mutatis autem post hæc temporibus non minus

minus quam hominum ingeniis, in desuetudinem abiit ille cremandi ritus, & cœperunt corpora defunctorum terræ mandare, nec sine fundamento præcipue Christiani, quibus exemplum dedit totius generis humani Servator, cujus ossa post obitum in tumulo recondebantur. Merito itaque summoque jure omnes omnino qui ex hac vita discedunt humandi sunt atque sepeliendi; Sic enim Deus ait *Gen.* 3. *v.* 19. *terra es & in terram reverteris*, ac *Eccles.* 12. *v.* 7. *revertatur pulvis in terram, quemadmodum erat*; quin suadet hoc J. Gent. voluntarium, uti id testatur *Seneca L. I. Controv.* inter jura non scripta, sed omnibus scriptis certiora præcipue hoc referens, *humum porrigendam cadaveri.* Sane etiam apud Athenienses sepulturæ tanta cura fuit, ut dux cæsos sepeliri negligens morte mulctaretur. Sic Alexander M. milites suos magnifice humabat, ut refert *Diodorus Sicul. L.* 17. atque Nizias totum exercitum subsistere jussit, ut duos milites defoderet. Inter hujus instituti causas præcipue numeranda

necessitas putrefactionis, ut scil. cadavera visa atque odore fœda e viventium medio amoveantur; testificatio spei futuræ resurretionis quorumvis demortuorum; ac denique præcautio, ne corpora hominum defunctorum hominum animantiumve reliquorum ludibriis & injuriis exponantur. Conf. *Andr. Adam. Hochstetter. diss. de offic. erg. defunct.* §. 16. *Petr. Gregor. Tholosan. præclud. optim. JCsult.*

§. 2.

Disquirendum nunc porro, an omnia cadavera honeste sepelienda nec ne. In hoc terrarum orbe, si civilia atque moralia spectemus, res ita comparata est, ut quidam homines secernant se vivi à reliquis vel per egregia facta, vel per nefanda facinora, id quod innumeris exemplis posset evinci, ni litterarum periti ex historiarum scriptoribus facillimo negotio ea allegare valerent. Illi vocantur patres patriæ, & propter singularia in Rempubl. collata merita etiam omni honore digni haberi debent *t. t. C. de dignit.*; quin post obitum majori pompa quam cives reliqui sunt humandi,

di, unde & Græci tumulos nobiliorum dixerunt ἡρῶα, ignobiliorum vero ἠρία. Conf. *Aring. Rom. ſubterr. Spondan. de Cœmeter.* Interea tamen cæteris civitatis membris, quæ, licet virtutes ut vocant Heroicas nullas exercuerint, ſe tamen à peſtiferorum hominum commercio quovis modo ſegregare ſtuduerunt, & ſic illis, de quibus haud ſine fundamento creditur, quod ad generum Cereris deſcenderint, & propter vitam male actam ipſorum anima cum gemitu indignata ſub umbras tartareas fugerit, neutiquam annumeranda; honeſta poſt obitum ſepultura denegare minime debet, quia hic honor omnium pie defunctorum corporibus eſt exhibendus. *Chemnit. Exam. Conc. Trident. P. 4.*

§. 3.

Reliqui vero cuncti qui turpibus factis atque nefandis ſceleribus vitæ morumque honeſtatem violant, ſicut in vivis ſuperſtites haud immerito infamia notantur, *arg. l. 17. C. ex quib. cauſ. infami. irrog. & l. 13. pr. ff. de teſtib.*; ita etiam poſt mortem, ſi ad eam usque

in perverso suo proposito perseverarint, non iisdem solennitatibus,quibus melioris notæ cives defodiendi, sed honesta sepultura indigni sunt judicandi. Prouti autem delicta differunt gradu, ideoque alia sunt atrociora, alia minus atrocia; sic quoque pœnæ merito debent esse diversæ, cujus rei ratio & exempla habentur in libris terribilium; quin quia inhonesta sepultura ad illas refertur, etiam hæc pro ratione admissi facinoris non solet esse ejusdem generis; quippe est vel humana, cum aut in locum cœmeterii semotum ab aliis, aut extra cœmeterium seorsim cadaver infertur; vel canina s. asinina, cum illud per carnificem projicitur in locum fœdum inter cadavera facinorosorum aut brutorum *Carpz. l. 2. def. Eccles. 382. 1.* Qui vero in specie inhoneste sepeliendi, de hoc edocemur in J. Canon. præcipue *Cap. sacris pr. X. de sepult.*

§. 4.

Præsentis quæstionis, an scil. omnes mortui in cœmeterio humandi, decisio ex mox citatis facillime potest fieri,

fieri, ideoque multis hic abuti verborum ambagibus sane esset frustraneum. Omnium enim qui honesta aut etiam inhonesta in certis casibus modo humana sepultura digni judicantur cadavera etiam in publicis cœmeteriis terræ sunt mandanda; nec excludi hic debent occisi in via publica reperti, *Carpz. L.* 2. *def. Eccles.* 375. ; aut inopinata vel infelici morte involuntarie abrepti *idem L.* 2, *def.* 381. ; nec infantes sine baptismo decedentes, *Art. Gen.* 15. §. 7. nec denique ii qui ex melancholia & animi impotentia sibi vitam demunt. *Carpz. L.* 2. *def.* 377. *seqq.*

§. 5.

Hæc quidem dicta sufficiant de humandis in cœmeteriis publicis cadaveribus eorum qui eandem religionem sunt professi; sed num defuncti diversæ fidei in vita qui fuerunt addicti eodem honore digni judicari debeant, nondum extra omnem dubitationis aleam est positum. Nuncupantur in nostra lingua vernacula quam sæpissime loca religiosa agri Domini,

GOttes Aecker, quia in iis corpora piorum veluti quædam grana in spem futuræ resurrectionis seminantur; ideoque illustrium multorum & bene de Republ. Christiana meritorum virorum autoritate statuo, diversæ religionis socios in cœmeteriis illorum qui veram & ab erroribus fundamenta salutis disturbantibus purgatam defendunt fidem non esse sepeliendos. Cum enim illi vivi vere militantis & æternum triumphum anxie expectantis ecclesiæ membra genuina non sunt, impium etiam esset eorum cadavera post obitum in hujusmodi locis defodere, in quibus ossa sanctorum ad diem usque judicii extremi, quo ad recipiendam à gratiosissimo Numine ipsis promissam mercedem è tumulis suis debent evocari, asservanda. Excipiuntur autem hic merito socii & confessores trium religionum unanimi Cæsaris & statuum in Imperio nostro R. German. per transactionem Passaviensem pacemque religiosam vel Osnabrugensem declarationem consensu ea de causa receptarum, quia creditum

tum eſt, illas eſſe purgatas ab erroribus fundamenta fidei Chriſtianæ ſ. Apoſtolicæ impugnantibus Conf. *Carpz. L.* 2. *def. Eccleſ.* 383. *ſeqq.* nec non *Pacif. Oſnabrug. artic. V.* §. 35.

§. 6.

Sed quid dicendum de hæreticis? Vocabulum hæreſis eſt vox media, quæ modo in bonam partem ſumitur pro ſecta, etiam Chriſtianorum *Actor.* 24. *v.* 14. modo in malam, uti hanc eo ipſo loco accipiendam ſuadere videtur Tertullus orator, Pauli apud Felicem accuſator, qui vocaverat Apoſtolum v. 5. πρωτοστάτην τε τῆς τῶν Ναζωραίων αἱρέσεως. Pior acceptatio hoc loco omittenda, cum ad finem ſolummodo ſpectet altera, quæ denotat aberrationem à regulis Chriſtianæ fidei illiusque fundamentis exitialem, de qua diſſerunt Apoſtoli 1. *Corint.* 11. *v.* 19., *Galat.* 5. *v.* 19, 20., 2. *Petr.* 2. *v.* 1. In hoc itaque ſenſu ſi vocula ſumatur in abſtracto, hæreticus deſcribitur in concreto, quod ſit talis homo, qui errat in articulis fidei ad ſalutem æternam ſpectantibus, de errore iſto ſuo ſatis eſt

con-

convictus, & tamen in eo pertinaciter & cum aliqua renitentia perseverat. Hos igitur homunciones quia Paulus *in Epistola ad Tit.* 3. *v.* 10. post unam alteramve admonitionem devitare & aversari jubet, merito in vivis superstites, ne alios coinquinent aut ad imitationem coincitent, sunt plectendi, quod fieri solet & quidem ut plurimum ex instituto primævæ ecclesiæ per suspensionem, depositionem, excommunicationem, anathema, ac denique Satanæ traditionem; nec minus post obitum, si in pertinatia sua substiterint, honesta in cœmeteriis ac dormitoriis reliquorum Christianorum sepultura indigni sunt judicandi. *Arg. Cap. sacris pr. X. de sepult.* Alia ratio est schismaticorum, qui tantum communionis unitatem, in quam Christus ecclesiam coire & coalescere voluit, tollunt, salvis retentis articulis fidei; ideoque iis humatio saltem in cœmeteriis publicis non deneganda. *Carpz. L.* 2. *def.* 383. *seqq.*

§. 7.

Converto me ad Judæos: hi quidem

dem mox à mundi exordio atque incunabulis electus Dei vocabantur populus, ac multis præ reliquis gentibus gaudebant prærogativis;postea vero ex affectata malitia, qua fere semper mysteria salutis suæ ignorare studebant, adveniente plenitudine temporum non solum doctorem ac vindicem suscipere recusarunt, verum etiam turpiter abjecerunt, & tam ipsum, quam ipsius discipulos internecino ac pertinacissimo odio prosequi nunquam cessarunt: quin nostro ævo eos qui Christianorum nomen gerunt non cane solum pejus ac angue aversari, verum etiam, si caute atque occulte fieri potest, ferino more occidere & enecare haud erubescunt; quippe relatum legimus, quosdam ex illorum numero infantes nostratium allectos pecorum instar mactare, atque sanguinem ex corporibus trucidatis collectum ebibere haud raro consuevisse. Et quid multa enarrem? ii servatoris nostri dulcissimi carnifices honesta nunquam non inter ipsos demortuos Christinos privant sepultura; nec opus est multa in hoc ne-

gotio

gotio à Judæis exercitæ erga Christianos, quos ut legis desertores execrantur, sævitiæ allegare exempla, cum & ipsosmet inter se, ejusdem licet legis studiosissimos observatores, in civilibus illis dissensionibus, quibus immanissimam patriæ suæ cladem ex justo Dei judicio accelerarunt, sibi invicem sepulturam invidisse ex historia patet. Eo ex capite Christiani merito abominantur Judæos in sua sepulcra admitti & illorum cadavera in sua cœmeteria deduci; præsertim etiam quia certum est, hos, quamdiu in erroribus quos profitentur contumaces perdurant, nec membra militantis esse, nec post resurrectionem carnis in illo universalis atque extremi judicii die posse fieri socios triumphantis ac præclara Dei facta & elogia enarrantis ecclesiæ. Conf. *Spondan. de cœmet. L.* 2. *P.* 2. *C.* 3.

§. 8.

Quid autem dicam de Mahometanis? Fuit illorum dux & autor sectæ Mahometes, nec integræ famæ, nec honestioris vitæ, nec denique sanioris doctri-

doctrinæ homuncio, quia post annum sexcentesimum à Christi nativitatè tanquam nefandus impostor, quo sub pietatis specie omnis generis mortales ad se alliceret & attraheret, ex gentilibus, Judæis, Christianis, hæreticisque quædam mutuatus est, ut secta ipsius nullius, s. religionis s. superstitionis exors existeret. Divulgata est hæc paulo post per omnes fere plagas mundi, ita, ut eam prope plures sectarentur quam ullam aliam, usque dum in meditullio Europæ præcipuam ac primariam suam sedem occuparint Mahometani. Hi itaque quia ad illorum numerum qui spem beatæ habent resurrectionis minus referendi, ac præterea etiam Christianos novercali odio indefesse prosequntur, nec non in eos captos aliove modo sub suam potestatem redactos quam iniquissime desæviunt, haudquaquam honesta in cœmeteriis nostris publicis digni judicandi sepultura.

§. 9.

Gentiles, de quibus nunc dicendum, nobiscum quoad religionem & arti-

articulos fidei nullo modo convenire possunt; quippe fere omnes venerantur uno plures deos, ac præterea etiam res creatas, corruptibiles, infirmas, atque plane denominatione supremi entis indignas, ideoque nec de essentia spiritus, immortalitate animæ & illius post dissolutionem vinculi hanc atque corpus conglutinantis statu, nec de futura carnis resurrectione ut decet sunt instructi, eodemque ex fonte neutiquam post obitum in nostris cœmeteriis defodiendi. Detestatos & hujusmodi sepulturam atque commixtionem quasi gentiliumChristianorumque qui ante vixerunt majores reperimus in historia ecclesiastica; quippe relatum legimus *in epist. Cypriani* 68. quod ipse non minus quam reliqui Episcopi Africani in Martialem Asturicensem Episcopum invexerit, quia inter alia gravia scelera filios exterarum gentium more apud profana sepulcra deposuisset, & alienigenis consepeRisset. Idque omnibus populis qui ad fidem convertebantur diligenter insinuatum esse ab ipsorum instructori-

ctoribus argumento est, quod posterioribus temporibus Otto Episcopus Bambergensis Pomeranorum Apostolus dictus hanc inter cætera commonitionem non omisit: ne sepelirent mortuos Christianos inter paganos in sylvis, aut in campis; sed in cœmeteriis, sicut mos esset omnium Christianorum. Reliqua quæ hic facillimo negotio adhuc addi possent haud immerito brevitati studens prætermittam, reliqua enarraturus.

§. 10.

Excluduntur porro haud immerito à sepultura in cœmeteriis publicis honesta occisi in torneamentis illicitis, pugna cum bestiis, aliave privata, quæ vulgo vocatur duellum. *C.* 1. *x. de torneam. Carpz. L.* 2. *def.* 381. Ratio est in promtu: cum enim ex præscripto Apostoli 1. *ad Corint.* 10. *v.* 31. singula Christianorum conamina & actiones debent vergere ad trinuni Numinis honorem; necessario sequitur, quod hi qui aliquid pertinaciter intendunt huic fini è diametro contrarium, inter asseclas & sectatores servatoris dulcissimi neu-

E tiquam

tiquam sint numerandi; ideoque nec gaudeant spe beatæ futuræ resurrectionis, nec digni judicandi privilegiis vere militantis ecclesiæ, nec denique post obitum illius membris associandi. Cum itaque mox enarratis modis enecati homunciones in malo ac impio christianæque religioni adversanti proposito fuerint, perseveraverint atque decesserint, facillime liquet, quod summo jure priventur honesta in cœmeteriis sepultura, & vel, uti suadere videtur J. Can. inter bestias aut alios facinoros projiciendi ac defodiendi, vel, si mitius judicare volumus, saltem in locis cœmeterii à pie defunctorum dormitoriis separatis sine ullis adhibitis solennitatibus & ritibus consvetis humandi, partim ad promeritam ipsorum pœnam, partim ad dehortandum à nefanda superstites in vivis æmulatione.

§. II.

Consecrata reliquiis demortuorum sepulcra religiose esse custodienda, nec impune iterum profananda, aut in illis recondita ossa pro lubitu de-

nu-

nudanda, jam demonſtratum eſt in tractatione ſuperiori: ſed uti quævis regula patitur exceptionem; ita & præſens hoc aſſertum quandam admittit. Aperire iterum tumulos licet ex duplici ratione, vel ecclesiaſtica, vel politica: illa ſi ſubſit, detectio ſepulcrorum dicitur exhumatio, & conceſſa tribus potiſſimum caſibus, ſi ſcil. ſepultus uſurarius fuerit manifeſtus, & ipſius malitia poſt obitum primo innoteſcat; ſi fuerit excommunicatus, & talis deceſſerit; ſi fuerit denique nominatim interdictus. *Bertach. Repert. voc. ſepult.* Si vero ratio politica jubet tumulos iterum reſerere, id ex hiſce potiſſimum cauſis fieri ſolet, ſi reperto cadavere occiſo neglecta fuerit ocularis inſpectio, & ſi ſpatium ad humationem corporum conſecratum ob multitudinem morientium nimis evadat arctum, ut cœmeterium vel mutandum, vel corpora putrefacta & prope contritra atque conſumta a vermibusve corroſa ſint effodienda, ac in locum ad eorum aſſervationem deſtinatum, vulgo ins Bein-Haus, reponen-

nenda. Quæritur itaque quantum temporis requiratur, si cadavera putrefacta & ossa denudata credi debeant, ita, ut liceat impune ac tuto illa transferre. Respiciendum hic ad qualitatem sabuli s. terræ in qua reliquiæ demortuorum sunt infossæ, quippe quæ ad illorum destructionem & in elementa sua resolutionem plurimum confert; eaque ex ratione quandoque post decem exactos, quandoque post viginti præterlapsos, quandoque post triginta demum enumeratos annos hujusmodi translatio reliquiarum religiosarum est concessa, prouti scilicet sabulum refertum aut sulphure, aut nitro, aut superfluo latice, atque sic ad maturandam putrefactionem idoneum, vel minus aptum. Necessario itaque summoque jure in hoc negotio desideratur autoritas publica, quo in illius naturam magistratus competens inquirat, ac, ne nimis cito tumuli aperiantur vel cadavera pro lubitu transferantur, prospiciat. *Concil. Mogunt. C.* 51. *Carpz. L.* 2. *def.* 386.

§. 12.

§. 12.

Pergam ad reliqua hujus Cap. membra, primo loco inquisiturus, an gratis concedenda loca sepulcralia. Multis quidem videbitur negative hic esse respondendum, partim ex *arg. rubr. tit. ff. de relig. & sumtib. funer.* partim ex licita, uti supra expositum, quandoque distractione rerum quodammodo sacrarum, s. si mavis bonorum ecclesiasticorum, quæ sunt in patrimonio itidem ut cœmeteria, ideoque pari jure cum his, ac hæc cum illis gaudere haud immerito debent. Sed facile solvenda hæc dubia; quippe quoad primum per sumtus funerum non intelligendum pretium aut certa pecuniæ summa solvenda pro locis sepulcralibus, vel certum & determinatum tributum, sine quo soluto cadaver plane sepeliri non possit debeatve; Sed merces vespillonibus aliisque circa humationem cadaverum occupatis personis debita atque expensæ ad purgandum ornandumque illa necessariæ; quoad alterum autem adest lex expressa contraria in *C. 12. caus.* 8. *qu.* 2. ex qua

luculentissime patet, singulis demortuorum corporibus etiam illustrioribus ac ditioribus in cœmeteriis publicis dormitoria gratis esse concedenda. Quin suadet naturalis æquitas & ratio Politica, ut cuivis civi qui in vita ad conservationem ac emolumentum civitatis id quod ipsi incubuit solvit atque peregit, post obitum tantillum spatium, in quo reliquiæ ipsius possint condi, assignetur gratis sine pretio aut reluitione; quod si non fiat, exigentes aliquid peccant contra J. Nat., quin incidunt in crimen Simoniæ *arg. C. 29. de Sim.* Porro obligat ad id communis gentium consensus ratione extraneorum, exceptis solummodo his, qui ne honesta quidem in cœmeteriis digni judicandi sepultura; quippe à cunctis politioribus quasi sub tacita facta compromissione id introductum, ut quævis civitas peregrinos casu fortuito morbove afflicti qui in illa decesserunt in cœmeterio suo gratis defodiat, istudque beneficium ab aliis iterum expectet. Si vero defunctus vivens injungat heredibus, ut aliquid de

boni

bonis suis pro redemtione fundi sepulcralis præstent, tunc non est in heredum arbitrio, an sponte aliquid offerre velint, sed simpliciter voluntatem defuncti adimplere tenentur: atque sic ista hic est exceptio comprabata per *C. præcipiendum* 15 *Spondan. de cœmet. L. I. P. II. C.* 9.

§. 13.

Ast alia utique ratio est ipsius humationis expensarumque occasione hujus necessario erogandarum, quales sunt sumtus qui solvendi pro fereтro, effossione sepulcri, opera portatorum funerum, & sic porro, qui ex hereditate defuncti præcipue desumendi. *l.* 45. *ff. de religios.* Nemini enim officium suum debet esse damnosum; eoque ex fonte satis inique ii qui operas suas in humandis cadaveribus præstiterunt privarentur mercede promerita, quia plerumque tales sunt cives, qui aliunde victum quærere nequeunt, ac ideo se huic vitæ generi quod occupatur circa defodiendos mortuos dicarunt. Nec etiam denegandum honorarium Cantori, Pastori aliisve exhibentibus

eadem aut paria officia in persolvendis defunctis solennitatibus; quippe quod pars illorum est salarii sine cujus perceptione quandoque vix subsistere queunt, licet hoc exigere ipsis sit vetitum *C.* 3. *caus.* 13. *qu.* 2. *C. præcipiendum* 15. Exceptio tamen hic est ratione pauperum atque egenorum, qui omnino, cum vel ex eleemosynis vixerunt, vel ne tantum quidem æris in bonis habent, quantum ad ipsorum humationem requiritur, utique gratis sunt sepeliendi, cum in hoc passu officium humanitatis ipsis exhibetur post obitum, cujus remuneratio expectanda à supremo & clementissimo Numine *Conf. Bruck. dissert. de sepultur. grat. conced. Spondan. de cæmet. L. I. P. II. C.* 9.

§. 14.

Converto me ad personas quibus effossio sepulcrorum est demandata, quæ vulgo vespillones vocantur ea de causa, quia primævis temporibus mortui noctu efferrebantur, forte ad minuendos sumtus, vel ne sacra divina, aut Pontificum oculi eorum occursu violarentur:

tur: & ratione illarum primo loco perquiram, num non ſalus publica deſideret, ut ipſis certum atque fixum ordinetur ſalarium. Magiſtratus quidem Politicus id præ cæteris etiam potiſſimum debet curare, ut ii, qui communi totius civitatis uſui, quatenus indiviſim illa conſideratur, inſerviunt, ex fiſco publico tantum accipiant, quantum ad eorum ſuſtentationem neceſſario requiritur; hi vero, quorum operis ſingula civitatis membra utuntur, etiam à quovis iſto tempore, quo cuivis in ſpecie illas exhibent, promeritam debent recipere mercedem, vel ex contractu nominato locati conducti, vel ex contractu innominato facio ut des & v. v. Sic igitur facile liquet, quod magiſtratus nullo jure teneatur certum veſpilloni ordinare ſtipendium, cum ſinguli cives, ex quorum familia defunctus quidam eſt defodiendus, illius ope indigeant, ideoque merito id quod publica judicis autoritate pro excavatione tumulorum ratione ætatis atque ſtaturæ diverſorum eſt conſtitutum ipſi ſolvere

debeant. Si vero heredes demortui summa paupertate laborent, magistratui, ut ego quidem existimo, incumbit solvere mercedem quam jure vespillo potest exigere, cum illius est officii mendicos suæ civitatis alere, & per consequens etiam post obitum illorum humationem procurare. Præterea judex cui jurisdictio in res religiosas competit jure vel proprio, vel demandato, aut in ipso cœmeterio, aut minus procul ab isto ædificium vespilloni exstruere tenetur, quo eo facilius illius administrare queat custodiam.

§. 15.

Porro ratione vespillonum dispiciendum, qualem illi in custodiendo cœmeterio ac huic quodammodo adjunctis præstare debeant culpam, an latam, an levem, an levissimam. Decisio est facillima *ex l.* 5. §. 2. *ff. Comod.* & *l.* 23. *de R. J.* in quo enim contractu utriusque contrahentis interest, in illo præstat alter alteri culpam levem: casus hic est in terminis, ergo quid statuendum haud ægre quisque videbit.

Nam

Nam totius intereſt civitatis, ne juſtæ ſepulturæ tradita corpora inquietentur, aut monumenta aliave tumulis ſuperſtructa ædificia vitientur, vel templa in cœmeteriis exſtructa effrangantur ac ſpolientur, qua de cauſa veſpillo illis eſt præfectus; huic autem refert, ut à civibus ſingulis, quibus operas ſuas locavit, ex quo victum ſumere queat recipiat ſalarium, aut ſi mavis dicere mercedem, atque idcirco etiam ad præſtandam culpam levem eſt obligatus. Hinc ſi citra ipſius negligentiam accidat, ut locis religioſis injuria inferatur, quam vix & ne vix quidem prævidere aut avertere potuit, quia vel domicilium ſuum procul à cœmeterio habet, vel quia ſacrilegi ac nefarii homunciones nocturno tempore claveque adulterina illud recluſerunt, & ſic impium aliquid in eo perpetrarunt, nec veſpilloni culpa eſt tribuenda, nec iſte ſtatione ſua privandus, nec alia pœna pecuniaria corporisve afflictiva plectendus.

§. 16.

Sequitur tractatio de veſpillonis

fama,

famá, in qua disquirendum, an sit levis notæ macula notatus nec ne. Oritur illa, uti dupondiis notum, vel ex illegitima nativitate, *l. 12. C. de natur. lib.* vel ex sordido vitæ genere quod quis exercet, & cujus causa honestioris conditionis homines cum ipso conversari recusant, uti docet *Marqv. Freher. de infam. L. 3. c. 24.* Num itaque vespillones hac etiam notati dici queant ac debeant non extra omnem dubitationis aleam est positum, cum, uti præter Spondanum aliosque plures præcipue *Gyrald. & Joan. Faës in annot. ad hujus tractat. de vario ritu sepel. C. 1.* evincit, maxima à primis plantatæ ecclesiæ temporibus hominum sanctorum cura occupata credebatur circa cadaverum sepulturam, ideoque ii, qui in ea procuranda potissimas operas impenderunt, magno absque ulla dubitatione digni habiti fuerunt honore. *Spondan. de cœmet. L. 1. P. 1. c. 12.* Sed quid refert? sufficit in tali conditione constitutos esse vespillones, a qua plurimi, non dicam omnes, reliquorum civium abhorrent; quippe quævis cadave-

davera morbis malignis, contagiosis & quibuscunque corrupta defodere tenentur, atque sic ex inevitabili corporum humandorum & non raro transferendorum contrectatione, ac quasi imbibitione è tumulis propullulantium vaporum sæpissime venenatorum immundi redduntur, ita, ut in arctiori cum ipsis consortio haud pauci non sine causa vivere timeant; quo ex capite defendere audeo, quadam macula ipsos esse notatos, non tamen hac ratione, ut ii qui in illorum contubernio degere consueverunt eandem sibi contrahant, cum non ex causis moralibus atque Physicis meo quidem judicio oritur, & sic effectum juris vix habet. Eadem quoque, ut nihil prætermittam, ratio mihi videtur esse omnium reliquarum personarum, quæ ad cadavera purganda, ornanda atque vestienda vulgo conducuntur; quippe quorum commercia arctiora ut plurimum reliqui fugiunt. Sic etiam inter Hæbreos erat id statutum, ut is qui mortuorum curam suscipiebat pro immundo reputaretur; id quod præcipue

pue & præ reliquis defendi poteſt ex Legibus Nazareis præſcriptis. *Levit.*11. *v.*11. *Num.*6. *v.*7.

§. 17.

Reſtat, ut paucis diſſeram de pœna veſpillonum ſpoliantium reliquias humatorum, quæ ipſis de jure debet imponi. Sanctas illas atque inviolabiles eſſe allegatum jam ſupra *ex leg.* 39. *ff. de relig.*; quæ tacite poſcit, ut ii, qui has inquietare religioni ſibi non ducunt, quam acerbiſſime plectantur, partim ut luant quod promeruerunt, partim ut timeant ejusdem farinæ nebulones. Nunc quidem pœna hoc modo peccantibus certa atque determinata non eſt ſtatuta, cum judicis arbitrio plerumque relinquatur, qui ſæpe fuſtigationem, ſæpe manuum digitorumve amputationem, ſæpe aliam pœnam corporis afflictıvam pro diverſa conſuetudine, nec non conditione delicti ac delinquentium irrogare ſolet; interea tamen iſtiusmodi fures præcipue veſpillones, quibus cura rerum religioſarum demanatda; capite eſſe puniendos non inepte defendere

dere audeo *ex arg. L. ult. ff. de sepulc. violat.* & *arg. art.* 171. *Constit. crim. Carol. V.* quia committunt aliquo modo crimen sacrilegii, in cujus vindicationem ordinata quandoque pœna rotæ, quandoque ignis, quandoque alia ultimi supplicii species; id quod in terminis, si instituti ratio ac spatii angustia permitteret, variis exemplis facillimo negotio posset evinci. Conf. tamen *Constit. nov. Elector. Augúst. P. IV. Constit.* 34. Sächs. Land-Recht *L. II. Art.* 13. *verb.* alle Mörder *&c.* Sufficiat hoc saltem dixisse, olim eos, qui tantum non erubuerunt despuere in sepulcra, severissime fuisse punitos, quia credebantur ista loca sacrata, quæ violare, aut quodammodo dedecorare nefas erat. Evolv. *Spondan. de cæmet. L. I, P. I. c.* 9.

Cap. IV.

Cap. IV.

De dormitoriis familiarum hereditariis constituendis, reparandis, & in perpetuum asservandis.

RUBRICÆ.

§. 1. *Ad Conservationem generis humani spectat ordo familiarum.*

§. 2. *Familiæ à se invicem discernuntur per* γνωρίσματα *Physica & Politica.*

§. 3. *Quæ sint potissima Physica.*

§. 4. *Quæ notabiliora Politica.*

§. 5. *Familiæ illustriores præ reliquis debent habere prærogativas tam in vivis superstites, quam post fata suprema.*

§. 6. *Ad prærogativas illarum post ultima fata pertinet humatio in locis separatis.*

§. 7. *Hinc jure ipsis constituuntur dormitoria hereditaria.*

§. 8. *An hac gratis ipsis concedenda.*

§. 9. *Debent esse ipsis propria.*

§. 10. *Nullo tempore possunt præscribi.*

§. 11. *Post discessum aut exstirpationem familiarum non debent vindicari, sed sunt in perpetuum asservanda.*

§. 1.

ESse sane ac bene esse totius terrarum orbis omniumque rerum creatarum atque productarum acquiescit in decenti & convenienti ordine, quo disturbato nihil fere apte conservari poterit. Exemplis id ex natura ipsa desumtis demonstrare variis non esset labor Herculeus, sed præterea tamen frustraneus; qua de causa sufficiat de perfectissimo ente

visibili paucis hoc edocere, atque evincere, humanam societatem sine certo atque distincto ordine familiarum subsistere vix & ne vix quidem posse. Indroduxit hunc summus machinæ hujus opifex atque protector, ordinans societatem connubialem & parentum inter liberos, ac interdicens promiscuam maris fœminæque commitionem, ex qua diffidia atque turbatio societatis humanæ necessario est proventura; approbat hunc ipsum nobis innatum atque nobiscum connatum J. Nat, dictitans officia in quovis statu observanda; suadet hunc consensus gentium moratiorum communis, penes quas familias à se invicem per varia γνωρίσματα semper fuisse distinctas relatum legimus in autoribus diversorum populorum mores enarrantibus diversis. Fingas civitatem aliquam aut Rempubl. in qua familiæ inter se quasi confundantur atque commisceantur; ruinam sane illius esse in limine mox videbis, cum nemo fere dignoscere poterit quis sit filius, quis pater; quis maritus, quis conjux; quis domi

dominus,quis servus: hinc rixæ; hinc jurgia; hinc cædes; hinc denique interitus imminens & inevitabilis turbinis instar irrumpet.

§. 2.

Omnis autem ordo, quo demum nomine gaudeat, natales suos trahit vel ex legibus Physicis, vel ex moralibus s. politicis, pro distincta negotii in quo observandus natura atque conditione. Sic quivis annus solaris quatuor diversos habet ordines, & signa illorum Physica discernunt ver ab æstate, autumnum à hieme; quivis mensis varia habet tempora & ordinem distinctum, signum initii medii & finis illius præbente incremento lunæ ac decremento; nec minus quivis dies diversum servat ordinem, prout sol ortui & occasui vel proprior, vel ab eo remotior indicat aut tempus matutinum, aut meridianum, aut vespertinum. Itidem quævis civitas discernitur ab altera vel per diversum regem, vel per diversum situm, vel per diversum nomen, vel per diversam formam & structuram externam

internamve, vel denique per diversos incolarum mores, gestus, vestitus nec minus ac linguas. Pari ratione singulæ familiæ, quotquot in terrarum orbe inter gentes uti dictum moratiores enarrantur, à se invicem distinguuntur per varia signa aut γνωρίσματα Physica æque ac Politica.

§. 3.

Rariora quidem sunt priora, haud tamen referenda inter non entia; quippe deprehendimus sæpissime personas ejusdem familiæ discerni ab aliis vel per ipsam formam, qua sunt aut magis proceri reliquis, uti sacra scriptura trstatur de filiis Enack. *Num.* 13. *v.* 23. 29. *Deut.* 1. *v.* 28. aut magis pusilli cæteris, uti passim relatum legimus de pygmæis & similibus parvæ staturæ homuncionibus; vel per diversam proportionem quorundam membrorum corporis externam; sicut non raro invenimus personas hujus istiusve familiæ labiis, naso, oculis, brachiis, cruribus & sic porro ab aliis discerni, ut mirum in modum sapientissimi fabricatoris prudentia distinctum quarum-

rumvis creatarum rerum ordinem meditati apprime elucescat; quippe in hoc negotio non ad autores, sed ad quotidianam solummodo provoco experientiam.

§. 4.

Notabiliora sunt signa Politica, quæ ipsi homines ad regendam, tuendam atque conservandam felici cum successu civitatem studio excogitarunt. Pertinent ad hæc præcipue diversa singularum familiarum nomina, quæ ideo inventa, ut observari possit tam ratione commodorum in Republ. percipiendorum, quam ratione onerum in eadem perferendorum decens atque legitima proportio, ac potissimum quoque, ut quisque sciat, cui familiæ hic aut ille sit annumerandus, & quis sanguine cum hac aut illa sit junctus nec ne; præterea etiam qualitates externæ, secundum quas aliæ sunt ditiores, aliæ egenæ ac indigentes, aliæ bonæ famæ, aliæ macula quadam notatæ; aliæ innatæ ac cives, aliæ incolæ aut peregrinæ. Præcipua autem familiarum γνωρίσματα in Republ. bene

instructa mihi videntur dignitates, quibus quædam gaudere debent præ reliquis; prouti scilicet de illa diversimode bene sunt meritæ, ac vel operas, vel opes, vel vitam sæpe pro tuenda salute publica impenderunt. Conf. *Rennem. Jurispr. Roman. German. de J. Person. membr.* c. *D.* 7.

§. 5.

Est profecto conditio quarumvis Rerumpubl. civilis eadem quæ corporis humani Physica, in quo membrum præ membro præclariora subit ministeria; dirigit caput; adjuvant brachia; fulciunt pedes; & quævis pars, prout majus aut minus commodum affert, diverso etiam honore & æstimatione digna haberi solet. Sic pari ratione in civitate princeps est instar capitis, ministri status & magistratus inferiores quasi brachia ac pedes totam molem sustinentes atque una cum principe dirigentes. Eminere itaque hi præ reliquis summo jure debent ceu lenta inter viburna cupressus; certis ipsos præ cæteris civibus gaudere prærogativis fas est; famili-

milias etiam denique illorum illuſtriores cenſendæ reliquis ex æquitate naturali nec non ratione Politica *arg. l.* 11. *C. de dignit.* Sunt enim bene de Republ. ſentientes iſti, qui ſuæ defenſionis viribus in rebus ſæpe publicis ac privatis lapſa erigunt, fatigata reparant, & non minus humano generi provident, quam ſi prœliis atque vulneribus patriam parentesque ſalvarent; ac eodem ex fonte digni qui lauream una cum his quos genuerunt geſtent, & à plebe promerito condecorentur honore, quorumque proles in diſtributione munerum publicorum, ad quæ habilis deprehenditur, aliis præcipue extraneis & alienigenis merito præferenda; quinimo, ne poſt ultima fata ipſorum operæ ac ſtudia evaneſcant quaſi in auras atque oblivioni tradantur, civitas utique de hoc meditari tenetur, ut quovis modo memoriam ipſorum apud poſthumos tueatur, & ſic gratum erga eos animum aliqua ſaltem ratione declaret.

§. 6.

Felicius hoc fieri non poterit, quam

si post obitum sanctæ illustrium ac præclarorum virorum reliquiæ in locis à cæterorum civium tumulis quodammodo separatis condantur. Quemadmodum enim hortulanus herbas rariores in areolis distinctis à reliquo solo diligenter custodit & asservat; sic etiam grana hujusmodi manium, s. ossa bene de Republ. meritorum non sunt dispergenda per plebejum cœmeterii fundum, sed in areolis quasi separatis asservanda, ut & ii qui post nos venient possint dijudicare quis fuerit Davus, quis Oedipus, ac ut majorum pia conamina sint incitamentum ad decentem optandam atque laudandam æmulationem. In usu fuisse hujusmodi dormitoria hereditaria & familiaria penes Romanos, testatur *l.* 5. *ff. de relig. & l.* 13. *C. h. t.* explicat *Spondan. de cœmet. L. II. P. I. C. IV.*, cum hac tamen differentia, ut sepulcra hereditaria dicerentur quæ quis constituerat sibi suisqus heredibus, familiaria autem, quæ communia erant toti familiæ, licet ex ea quidam heredes non exstituri: recitat exempla varia

Aringh.

Aringh. in Rom. subterr. Hebræos istum morem egregium secutos esse probat *Jo. Nicol. de sepulcr. Hebr. L. III. C.* 8. allegans ex *Auson. Epitaph.* 37.

Me sibi & uxori & gratis commune sepulcrum
Constituit feras Carus ad exequias.

Reliquas etiam gentes fere plurimas idem observasse defendit autor laudatus in *tract. c.* ut alios, quos facillimo negotio hic enumerare possem, jam taceam.

§. 7.

Sic, ut ego quidem existimo, non sine fundamento est demonstratum, viris laude dignis illorumque familiis de jure constituenda esse dormitoria a reliquorum tumulis sejuncta atque separata; qua de causa uberiorem probationem addere dubito, cum sufficiet, si ex codice sacro paucis adhuc exemplis edocuero, penes Judæos stante Deocratia morem huncce jam in usu fuisse. Sic Abraham emit ab Ephrone agrum eo fine, ut in illo sibi suisque exstrueret sepulcrum hereditarium. *Genes.* 23. Pari ratione dicitur de Gi-

deone: *mortuus est Gideon filius Joas in senectute bona, & sepultus est in sepulcro patris sui in Ephra de familia Ezri. Jud.* 8. *v.* 32. Itidem Samson translatus à fratribus & agnatis suis in dormitorium patris Manoæh. *Jud.* 16. *v.* 31. Porro refertur huc Asahel de quo legimus 2. *Sam.* 2. *v.* 32. quod post obitum humatus sit in sepulcro patris sui in Bethlehem. Nec minus primi Israelitarum regis Sauli ossa in tumulo Kis patris sui sunt sepulta. 2. *Sam.* 21. *v.* 14. Quid denique dicemus de pessimo consiliario Ahitophel, qui, cum consilio suo irrito facto abiisset & suspendio fauces fregisset, postmodum humatus est in sepulcro patris sui? 2. *Sam.* 17. *v.* 23.

§. 8.

Nunc quidem supra defendi, loca sepulcralia cuivis civi in cœmeterio publico gratis concedenda, quia Simoniacum esset pretium pro illis exigere: ex hoc vero nullo modo colligendum, acsi etiam fundus in quo dormitoria familiaria s. hereditaria debent exstrui sine reluitione sit, assignandus. Sunt enim utique loca religiosa sarta tectaque

ctaque conſervanda, nec non templa iis inædificata, in quibus juſta defunctis perſolvuntur, reparanda atque in eſſe ſuo tuenda, id quod ſine expenſis variis fieri non poteſt. Haut itaque improbanda Rerumpubl. iſtarum conſuetudo, quæ pro certa pecuniæ ſumma Mæcenatum aliorumque illuſtrium virorum familiis partem aliquam cœmeterii vendunt, eo fine, ut in perpetuam ſui ſuorumque memoriam exſtruant ibi ſepulcra hereditaria; redactum autem exinde pretium erogant in reparationem atque conſervationem rerum religioſarum. Defendit hoc ipſum exemplum Abrahami mox citatum ex *Gen. cap.* 23. nec non itidem certa ratione illud ſacerdotum tempore Chriſti ementium agrum figuli ad humationem peregrinantium. *Math.* 27. *v.* 7. Applaudit etiam, ut ex multis autoribus ſecularibus unicum tantum allegem, *Spondan. de Cœmet. L. I. P. II. C.* 9. Nec obſtat §. *ult. J. de emt. & vendit.*, in quo aſſeritur, quod loca ſacra religioſa & publica vindi nullo modo poſſint; quippe in illo de hujus-

modi

modi alienatione sermo est, quæ fit hoc fine, ut loca religiosa profanentur, ac alii usui accommodentur.

§. 9.

Soluta autem pro determinato aliquo in cœmeteriis spatio pecunia, & superstructo illi dormitorio à certis familiis hereditario, illud proprium iisdem ac communi juri exemtum utique est atque manet, cum id, quod legitimo modo sibi quis acquirit, in ipsius transit dominium vel quasi. Nulli itaque reliquorum civium licet sine speciali proprietarii concessione in hujusmodi sepulcra mortuum inferre *arg. l. 2. ff. de religios. & l. 3. §. 3. ff. de sepulcr. viol.*, in qua dicitur, quod si quis in hereditarium dormitorium inferat, quamvis heres, tamen actione sepulcri violati possit conveniri, si forte contra voluntatem testatoris intulerit: hoc igitur cum ne quidem heredi concessum, quando minus extraneo. Si vero acciderit, ut in tumulis hereditariis quis fuerit sepultus, qua ratione possessionis turbatio possit vindicari quæritur. Fiebat hoc olim per actionem

nem violati ſepulcri, quæ irrogabat infamiam *l.* 1. *ff. h.t.* & translationem cadaverum humatorum cum decreto Pontificis aut ex juſſu Principis *arg. l.* 8. *ff. de relig.*; qui mos non inique etiam noſtro ævo retinendus, quia nititur æquitate naturali, quæ vetat dominum in poſſeſſione rerum ſuarum turbari, ac concedit ſimul facultatem injurias per doloſam turbationem illatas modis licitis vindicandi.

§. 10.

Porro rerum civilium ſic quidem comparata eſt conditio, ut quis jus ſuum etiam reale poſſit amittere per præſcriptionem, ſi vel id determinato in jure tempore non exerceat, eove haud utatur *l.* 13. *C. de ſervitut. & aqua*, vel aliquis poſſeſſionem rerum ipſi competentium ſibi vindicaverit, nec vi, nec clam, nec precario, ſ. juſto titulo ac bona fide *l.* 4. *C. de præſcript. long. temp.* Rerum autem religioſarum & per conſequens etiam dormitoriorum hereditariorum alia eſt ratio; quæ quidem in poſſidentium ſunt dominio, non tamen hoc modo, ut ipſis liceat

ea

ea pro lubitu alienare, aut alii, quam ad quem constituta, usui accommodare, cum quoad hunc casum manent commercio exemta, & sic etiam per præscriptionem non amitti, aut ab aliis acquiri possunt. Accedit, quod requisita ad præscriptionem maxime necessaria in hujusmodi rebus ne quidem possint esse; deficiet enim b. f., quia singulis civibus notum, quod hereditaria dormitoria sint aliena, & certo respectu, quoad scil. arbitrariam illorum alienationem, etiam nullius; quin porro non extabit justus titulus ad translationem dominii alias habilis atque idoneus ex rationibus & caussis allegatis. Ex his igitur liquet, quod familiaria sepulcra ab extraneis nec per longissimi temporis, nec etiam, ut ego existimo, per immemorialem præscriptionem posse acquiri.

§. 11.

Si vero familiæ, quibus dormitoria hereditaria fuerunt constituta, vel ex Republ. discesserint, vel plane exspiraverint & quasi exstirpatæ sint, ita, ut nec agnati, nec cognati ex iis vivant

vant superstites, an illa loca, in quibus ossa & reliquiæ istarum futuram resurrectionem expectant iterum vindicari, & aut aliis concedi, aut cum cœmeterio publico denuo conjungi debeant ac jure queànt, fortasse ex me hac vice non immerito quis quæret. Agedum: dicam quod res est, & defendam, negative hic esse respondendum. Cum enim *l.* 3. *pr. ff. de sepulcr. violat.* asseritur, quod, si nemo fuerit, ad quem pertineat tumulus violatus, contra violatores is qui velit agere queat; necessario sequitur, quod Romani consueverint in perpetuum asservare sepulcra quorumvis humatorum, & multo magis hereditaria; nec id sine fundamento.

§. 12.

Non inepte canit elegans ille Satyrarum confector:

Dignum laude virum Musa vetat mori;

& his verbis innuit, Mæcenatum bene de Republ. meritorum memoriam de jure debere esse perennem, ita, ut sensibus imis quorumvis posthumorum reponatur. Lex enim naturæ jubet &

nasci

nasci & mori; divites æque ac inopes decedunt; princeps una cum pagano; doctus itidem ut rudis: sed fama illorum quorum præcordia de meliori luto Deus finxit post fata superstes utique asservanda. Felicius hoc fieri vix potest, quam si vel ipsi per docta quæ conscripserunt volumina vivant in animis illorum qui ista evolvunt, vel per egregia quæ pro tuenda salute patriæ machinati sunt facinora & ordinarunt instituta se immortales reddiderint penes hos, qui istis fruuntur, vel per dormitoria ipsis ipsorumque heredibus exstructa suam tueantur memoriam inter istos qui illa prætereunt. Eodemque ex fonte hujusmodi sepulcra familiaria in perpetuum esse asservanda summo jure statuam, ne scilicet bona fama, quam multis laboribus atque ærumnis præclari viri sibi compararunt, si monumenta illorum diruantur, penes hos qui postea venient exspiret & quasi evanescat in auras, sed potius quotidie per diligentem istorum asservationem reviviscat, & reddatur perennis.

§. 13.

§. 13.

Tuendam autem & perpetuo sancte quasi custodiendam quibusvis modis licitis illustrium virorum memoriam, docet æquitas naturalis. Virtus enim præ omnibus aliis fortunæ commodis & anxiis conaminibus quæ mortales quodammodo reddere possunt immortales est optimus atque dulcissimus scopus, quem si quis ex voto attigerit, merito celebratur à civibus, laudibus effertur ab exteris. *Nam quanquam*, teste *Ciceron.* 4. *Philipp. c.* 5., *omnia alia incerta sunt, caduca, mobilia, virtus est una altissimis defixa radicibus, quæ nunquam ulla vi labefactari potest, nunquam dimoveri loco*; ideoque anxii illius sectatores summo jure præmiis æquissimis sunt afficiendi, quia virtus flaccessit, nisi justis impensorum laborum fructibus excitetur. Quæ autem merces est perfectior quam æterna penes seros posthumos præclarorum factorum memoria? Quæ remuneratio dulcior, quam perennis meritorum in patriam recordatio? Quod denique solatium

G fir-

firmius, quam vita civilis post mortem naturalem perpetua? Idem asserere mihi videtur mox laudatus rhetorum princeps, cum 6. *Paradox. C.* 3. sat eleganter scribit: *quanti æstimanda est virtus, quæ nec eripi, nec surripi potest unquam; neque naufragio, neque incendio amittitur; nec tempestatum, nec temporum permutatione mutatur;* i. e. indelebilem & quasi æternam post se relinquit memoriam.

§. 14.

Defendit idem porro consensus gentium moratiorum, quæ semper id sunt meditati, ut hi, qui pro tuenda fulcienda ac resarcienda salute publica plurimas operas impenderant, & non raro opes atque vitam maximis periculis exposuerant, præmia ferrent laborum æquissima, & post obitum viverent immortales in animis illorum qui postea erant venturi. Hinc canit *Horatius l.* 3. *od.* 30.

Exegi monimentum ære perennius,
Regalique situ pyramidum altius;
Quod nec imber edax, aut Aquilo impotens

Possit

Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, aut fuga temporum.

Sic in variis eorum variarum gentium qui enarrarunt ritus atque consuetudines voluminibus relatum legimus, penes Romanos, Græcos, Latinos aliasve plures magno semper in honore fuisse illos, qui quovis modo belli pacisque tempore patriam parentesque defenderunt, unde & natales suos traxisse inviolabilitatem & sanctitatem legatorum, de quo egregie disserit optimus J. gentium patronus *M.* ille *Hug. Grot.*, æque ac receptam passim inter gentiles apotheosin nec minus quam usitatam penes Roman. Catholicos canonisationem atque beatificationem, de qua nitide disputat *Jo. Fabricius Addit. in orat. inaug. de utilit. ex itiner. Ital. capiend.*, non immerito statuo.

§. 15.

Suadent denique id maxime necessariæ atque potissimæ rationes Politicæ. Rerum enim publicarum, uti sæpius edoctum, salus & incolumitas fulcitur curis virorum illustrium

atque sapientum, prout hoc optime agnovit *Plato, tum demum putans beatas illas vocandas, si aut docti & sapientes homines regere cœpissent; aut qui regerent omne suum studium in doctrina & sapientia collocassent.* Ad id vero eniti paucissimi sane sibi forent proposituri, ni scirent, cives plenis honorum muneribus ipsorum virtutes per titulos memoresque fastos in ævum æternaturos. Et si verum est, quod *Cicero* scribit *l. 2. de orat. c. 40.; omnes qui Reipubl. consulunt cari nobis esse debent,* necessario sequitur, quod caritas ista etiam declaranda & quasi ostendenda sit per remunerationem meritorum, ac præmia collata in hos qui nocte fere dieque omnes suas operas & prope vitam saluti publicæ dicant. Quæ vero præmia magis sunt duratura, ac mordaci temporis injuriæ minus exposita, quam multis laboribus parta ac diligentissime tam mercedis quam laudandæ æmulationis ergo custodita inter superstites & posteros desideratissimorum Mæcenatum fama atque gloria vel quotidie in animis civium reviviscens?

§. 16.

§. 16.

Supereſſe autem præcipue penes plebem præclarorum virorum ſi ex hac ſtatione & vita diſceſſerint memoria vix poterit, ni exſtructa ipſis atque conceſſa dormitoria hereditaria in perpetuum aſſerventur, ita, ut hæc prætereuntes manes pie defunctorum & ſanctas reliquias devota mente decentique ratione venerentur, ac laudes eorundem promeritas enarrent. Sed veluti Mauſolea demum ac Ægyptiorum Pyramides ſic dirutæ atque deſtructæ peregrinantium oculis ſe offerunt, ut vix quis dignoſcere poſſit, quanti pretii ac molis opus hic fuerit poſitum, quia illarum ruinæ non ſunt reſarcitæ; ita quoque hujusmodi ædiculæ brevi tempore ſic eſſent collapſuræ, ut rudera vix apparerent, ni fere quotannis reficerentur atque novo ſaxo ſtabilirentur. Ex hoc enim potiſſimum quarumvis rerum eluceſcit fragilitas & imperfectio, quod nihil ſine noſtra ope curis atque auxilio eſt duraturum; interea tamen accedentibus his per annos innumeros prope

quodvis opus à manibus noſtris exſtructum facillimo negotio poteſt aſſervari. Liquet itaque omnique dubio caret, quod dormitoria hereditaria, ſi, uti demonſtratum, certo reſpectu debeant eſſe æterna, reſarcienda, reparanda, atque non raro redintegranda ſint.

§. 17.

Aſt unde deſumendæ ad id procurandum neceſſariæ expenſæ? Num magiſtratus has exſolvere tenetur? Num à principe poſſunt exigi? Num ex bonis eccleſiaſticis erogandæ? Neutiquam: ſed reddendæ ex patrimonio privatorum, & quidem hac ratione. Quævis familia quæ in cœmeterio publico ſibi conſtituit dormitorium hereditarium, conſecret neceſſe eſt certam pecuniæ ſummam ex qua depromatur id quod ad refectionem atque reparationem deſideratur. Ponas caſum, 50 patresfamilias quorum intereſt conferre 5000 Joachimicos, ita, ut ſinguli dent 100; hocceæs credi hujusmodi porſonis quæ ſatisdare & cavere poſſunt; quotannis redigi exinde uſuras

ras; & ex his resarciri sepulcrorum familiarum ruinas: quid obstabit, quin ista in perpetuum sarta tectaque possint asservari? Non enim quotannis accidit, ut quævis dormitoria sint reficienda; & sic, licet quandoque majores impensæ requirantur, facile illa queunt depromi ex usuris usurarum, quæ tempore præterito non fuerunt consumtæ. Ordinato hujusmodi fisco publico, quisque qui una cum sociis illius commodo gaudere satagit, eandem summam addat, unde in tantum augebitur, ut vix & ne vix quidem usuræ possint impendi.

§. 18.

Sed ut finis qui hic intenditur apte etiam & cum fructu obtineatur; necessario requiritur, ut nemo coactus aliquid conferat, & ut non quiris in hujusmodi societatem recipiatur. Convocandi itaque vel à magistratu, vel ab alio illustri viro itidem dormitorium hereditarium possidente seniores cujusque familiæ hac prærogativa præ reliquis civibus gaudentis, & ex ipsis quærendum, an quid & quantum ad

talismodi fiscum publicum ordinandum quivis velit consecrare, enarratis prius commodis atque emolumentis exinde proventuris. Consentientibus autem singulis aut saltem quibusdam ad conferendam certam summam; ut intra præfixum ab ipsis terminum sine ulteriori dilatione aut fraude id quod obtulerunt exsolvant, ac sic facto ipso usui religioso consecrent, utique est procurandum. Excludendi autem à tali societate omnes isti, qui nullis egregiis facinoribus patriam parentesque defenderunt, nec etiam proavos bene de Republ. meritos enumerare possunt; quippe si quævis purgamenta servorum aut omnes plebeji in hoc Mæcenatum contubernium reciperentur, cessaturus utique esset finis constituendorum asservandorumque in recordationem eorum qui patriæ inserviendo consumti sunt sepulcrorum hereditariorum, cum denique nemo posset dignoscere, quis fuerit patriæ pater, & quis civis plebejus, confusis quasi & commistis utrorumque reliquiis, quod tamen & decentis servan-

di

di ordinis & promeritæ remunerationis ergo declinandum.

§. 19.

Conſtituto hac ratione ad reparationem ſepulcrorum familiarium facilitandam fiſco publico, utique illius cura certæ perſonæ aut certo collegio eſt committenda. Uti enim ſingula negotia longe felicius geruntur, ſi unus ſolummodo iis præeſt, quod innumera fere in quavis Republ. exempla poſſunt docere; ita etiam in re potiſſimum pecuniaria non uno plures ſunt ſeligendi qui adminiſtrent, colligant atque erogent. Debet autem hujusmodi fiſci præfectus vir eſſe integræ famæ ac fidei, locuples, negligentiam fugiens, innatus aut civis, & in propriis etiam negotiis diligentiſſimus, nec deſes, ſocors, vel dilapidator bonorum, ne ſi per talem diſſipentur opes fiſci, iis qui de hoc damno queruntur objici queat *§. ult. J. de ſociet.;* porro etiam juratus, magiſtratus autoritate confirmatus, & ſic legitime i. e. ſecundum leges atque regulas juris inſtitutus; quo ſi delin-

quat contra finem cujus causa est electus, & profundat æs ipsi concreditum, conveniri atque ad restitutionem damni illati obligari queat. Nec etiam absonum esset, si toti collegio, v. g. Consistorio aliive magistratui jurisdictone in res religiosas gaudenti cura fisci religiosi demandaretur; quippe semper præsumendum, hujusmodi corpora optimæ esse fidei, atque sic impensiori cura res ipsis commissas fore administratura. Nec obstat, quod uno plura in iis sint membra, ideoque dissidia in moderandis rebus ipsorum curis demandatis timenda; quia unus reliquorum est Præses, cujus jussui, ni singulare quid objicere queant, cæteri parere tenentur.

§. 20.

Prouti autem officium suum nemini debet esse damnosum; ita præfectus talismodi fisci religiosi præsertim privatus non tenetur illius administrationem gratis suscipere, cum pro operarum quæ impendendæ ratione ex æquitate naturali ipsi ab his quibus interest certum ordinandum salarium, ut

ut per hoc ad majorem excitetur curam, & mercedem recipiat promeritam. Quia vero celebratus hac ratione contractus est bilateralis, in quo uterque est obligatus, utique etiam cavere vel satisdare debet fisci præfectus, quo, si forte fortuna ille deterior redditus nummive delapidati fuerint, isti qui commodum ex eo sperarunt sciant unde damnum resarciendum; uti æquitas hujus postulati se per seipsam defendit, ideoque nullis verborum ambagibus munienda aut probanda.

§. 21.

Præterea si fiscus religiosus debeat esse perpetuus, notandum, qua ratione conservandus, augendus, & erogatio cum fructu instituenda. Ea est conditio rei pecuniariæ, ut nummi ni quotidie iis alii addantur, sed potius quidam demantur, ad ultimum evanescant quasi in auras; qua de causa non ineptum est illud vulgatum:

Adde parum parvo, parvo superare pusillum;

Et

Et sic ex parvo magnum cumulabis acervum.

Hoc autem felicius fieri vix poterit, quam si pecunia non relinquatur otiosa, sed potius hujusmodi personis credatur, qui legitimas solvunt usuras, & præterea etiam principalem summam stato tempore sunt reddituræ; porro si sumtus non impendantur voluptuosæ, sed tantum necessariæ vel saltem utiles, nec etiam tales, qui excedunt proventus. Hac methodo si præfectus religiosi fisci illi prospiciat, non nisi cum fructu eidem præesse, & sic finem ob quem constitutus apte assequi poterit, cum facile dijudicabit quæ expensæ ad bene esse atque perennem asservationem dormitoriorum hereditariorum necessario requirantur.

§. 22.

Expositis nunc fere omnibus quæ in hoc Cap. perquirenda fuerunt, addam adhuc quæstionem de eo quod justum est circa sepulcra familiaria si cœmeterium necessario debeat amplificari. Si verum est & indubitatum, quod jure suo legitimo modo acqui-

quiſito & per longum tempus poſſeſſo nemo ſit privandus; haud ſine fundamento ſtatuam, huic etiam negotio regulam iſtam eſſe applicandam. Aſſervanda, itaque, uti in ſuperiori tractatione evictum, dormitoria hereditaria legitime conſtituta in perpetuum ſine ulla limitatione atque exceptione; & ſic ne tunc quidem diruenda aut communi uſui reddenda, ſi ſpatium cœmeterii ob emorientium multitudinem nimis fiat arctum, & ſic ſit extendendum; quippe in hoc caſu coëmendus ad iſtum finem fundus huic adjunctus privatus, aut etiam proximus locus publicus autoritate magiſtratus conſecrandus & cum religioſo conjungendus ſalvis intactisque retentis tumulis privilegiatis.

Cap. V.

Cap. V.
De Dormitoriis in templis constituendis & asservandis.

RUBRICÆ.

§. 1. *An jure liceat dormitoria constituere in templis.*
§. 2. *Quæ cadavera in templis humanda.*
§. 3. *Num templa per illationem mortui fiant loca religiosa.*
§. 4. *An tumulis in templis constitutis liceat superstruere monumenta.*
§. 5. *An in locis templorum sacratioribus, vulgo* oben im Choro *dormitoria licite constituantur.*
§. 6. *An justum sit cadavera in templis humata iterum exhumare.*
§. 7. *Ubi denuo sint recondenda, si necessitas exhumationem exigat.*
§. 8. *Quid juris circa dormitoria in templis constituta, si destruantur & alibi exstruantur templa.*
§. 9. *An dormitoria familiæ s. hereditaria in templis constituere liceat.*

§. 10.

§.10. *Quis teneatur reparare constituta in templis dormitoria.*
§.11. *An Juri Gent. sit contrarium hujusmodi dormitoria violare.*
§.12. *Quale delictum admittat ista violans.*

§. 1.

ENucleata est supra divisio rerum in sacras sanctas & religiosas, & simul ibi edoctum, quod ad priorem speciem potissimum referenda sint templa ceu loca divino cultui publico consecrata, extra quæ regulariter ille habendus non est. *Dist.* 1. *de consecr. Can. hic ergo* 14. *seqq.* : in hoc itaque Cap. disquirendum, an jure liceat etiam dormitoria constituere intra mœnia hujusmodi ædium sacrarum, & sic illas usui quasi alii accommodare. Primo quidem intuitu decisio non adeo facilis videtur, cum contra finem primæ earundem consecrationis pugnare haud pauci judicabunt cadavera in istiusmodi locis sacris defodi; sed dissentientes absque dubio applaudent, si instituti hujus justitiam rationibus æque ac exemplis defendero. Nota est Phi-

Philoſophorum regula; propter quod aliquid tale eſt, id magis tale eſt; ſunt autem templa propter homines conſtituta; ergo homines majoris eſſe templis in iisque non inique ſepeliendos nemo negabit. Porro templa exſtruuntur, ut homines in iis divinum Numen decenti ratione adorent, & ſic in hac vita inchoent, quod in futura erunt in ævum peracturi: ergo non immerito, ſi in cultu Deo Trinuno exhibendo omni niſu deſudaverint, ipſorum cadavera in iſtis locis reponenda, in quibus laudes ipſius decantarunt. Denique corpora Chriſtianorum vocantur ſemina, quæ hoc fine terræ mandanda, ut eo perfectiora revivifcant & quaſi propullulent. 1. *Corinth.* 15. *v.* 35. *ſeqq.* cui autem loco majori jure poſſunt inſeminari quam illi qui Deo eadem reſuſcitaturo eſt dicatus? Approbat hunc morem primævæ Eccleſiæ conſuetudo: quippe quæ ſuperatis decumanis vexationum tyrannicarum fluctibus in templis exſtructis doctorum piorum corpora humavit. Tradit hoc *Auguſtinus Præſul ille*

Hyp-

Hypponensis in lib. decur. pro mortu. cap. 4. Sic Ambrosius in Basilica sepulturam sibi eligit, uti apparet *ex sermon.* 77. Constantinus M. Constantinopoli in Basilica Apostolorum humatus fertur. Honorius Imperator Romæ in templo Petri sepultus dicitur. In Hispaniæ templis idem factum esse *Garsias Lacisa cap.* 18. *Concil. Brucarensis* 1. annotavit. Plura quæ hic facillime addi possent exempla instituti ratio præterire jubet, cum enarrata sufficiant.

§. 2.

Ast ex dictis neutiquam colligendum, acsi quævis pie defunctorum cadavera in templis sint defodienda; cum hoc & ratio Physica & Politica interdicit, quin etiam fieri nulla ratione potest. Nam si promiscue funus in templa inferre liceret, facile esset eventurum, ut aër ex prodeuntibus è tumulis vaporibus inficeretur, & sic timendum, ne vivi gregatim ibi confluentes contabescerent, ad quod evitandum cœmeteria regulariter extra urbem constituenda esse jam supra satis evictum. Porro si consuetudo ista

vulgo reciperetur, usus ædium sacrarum esset cessaturus; quippe à potiori fit denominatio; magis autem tunc inservirent defunctis quam superstitibus, atque sic majori jure cœmeteria quam templa appellitanda. Accedit, quod differentia, quæ in hoc etiam passu servanda inter personas illustres & plebejas, de qua disserui *Cap. anteced.*, plane aboleretur, & sic priores suo jure præcipuo, quo præ reliquis gaudere merito debent, inique privarentur. Ac quomodo etiam arctum templorum spatium tantum quotidie emorientium gregem posset abdere atque includere? Digni itaque hoc honore solummodo habendi patres patrii; Clerici potissimum superioris ordinis; Religiosi; Primates Consistoriorum; nec non reliqui de Ecclesia patriave eximie meriti. Hinc non adeo probatus mihi videtur mos illorum, qui sine discrimine loca sepulcralia in templis pro soluto pretio vendunt cuivis; quia & contra æquitatem naturalem & contra rationes Politicas peccare, & denique in crimen Simoniæ aliquo

modo

modo incidere non sine fundamento mihi videntur, cum avaritia inducti exinde multum argenti & auri colligere satagunt; quæ quidem depravata consuetudo Pontificiis est usitatissima. Confer. fusius hac de re differens *Spondan. de cœmet. L. I. P. 3. Cap. 14.*

§. 3.

Sed num per illationem mortui templa naturam rerum religiosarum induant, paucis hic explicare operæ pretium. Ast quid explicabo? res in propatulo est. Exstructorum templorum finis primarius exercitium religionis externæ ad conglutinandam societatem civilem non sine causa dicitur. Pone enim casum, cessare cultum divinum coram hominibus, destrui templa, dissolvi vinculum humanæ societatis firmissimum; mox videbis ruinam toti civitati imminere exitialem, interruptis commerciis, abolitis officiis civium erga cives & imperantes, & turbatis omnibus omnino hominum ordinibus. Accedit huic fini secundarius, qui est concessa & probata paulo ante demortuorum cadaverum in tem-

vulgo reciperetur, uſus ædium ſacrarum eſſet ceſſaturus; quippe à potiori fit denominatio; magis autem tunc inſervirent defunctis quam ſuperſtitibus, atque ſic majori jure cœmeteria quam templa appellitanda. Accedit, quod differentia, quæ in hoc etiam paſſu ſervanda inter perſonas illuſtres & plebejas, de qua diſſerui *Cap. anteced.*, plane aboleretur, & ſic priores ſuo jure præcipuo, quo præ reliquis gaudere merito debent, inique privarentur. Ac quomodo etiam arctum templorum ſpatium tantum quotidie emorientium gregem poſſet abdere atque includere? Digni itaque hoc honore ſolummodo habendi patres patrii; Clerici potiſſimum ſuperioris ordinis; Religioſi; Primates Conſiſtoriorum; nec non reliqui de Eccleſia patriave eximie meriti. Hinc non adeo probatus mihi videtur mos illorum, qui ſine diſcrimine loca ſepulcralia in templis pro ſoluto pretio vendunt cuivis; quia & contra æquitatem naturalem & contra rationes Politicas peccare, & denique in crimen Simoniæ aliquo

modo

modo incidere non ſine fundamento mihi videntur, cum avaritia inducti exinde multum argenti & auri colligere ſatagunt; quæ quidem depravata conſuetudo Pontificiis eſt uſitatiſſima. Confer. fuſius hac de re diſſerens *Spondan. de cœmet. L. I. P.* 3. *Cap.* 14.

§. 3.

Sed num per illationem mortui templa naturam rerum religioſarum induant, paucis hic explicare operæ pretium. Aſt quid explicabo? res in propatulo eſt. Exſtructorum templorum finis primarius exercitium religionis externæ ad conglutinandam ſocietatem civilem non ſine cauſa dicitur. Pone enim caſum, ceſſare cultum divinum coram hominibus, deſtrui templa, diſſolvi vinculum humanæ ſocietatis firmiſſimum; mox videbis ruinam toti civitati imminere exitialem, interruptis commerciis, abolitis officiis civium erga cives & imperantes, & turbatis omnibus omnino hominum ordinibus. Accedit huic fini ſecundarius, qui eſt conceſſa & probata paulo ante demortuorum cadaverum in tem-

plis humatio; per quam tamen natura illorum non transmutatur, cum sunt & manent sacra, funera licet in ea inferantur; quippe, uti jam sæpius dictum, a potiori fit denominatio; potior autem & major usus est templorum, quatenus inserviunt cultui exercendo divino, quam quatenus destinata sunt ad sepulturam. Evolv. tamen hic. *Cap.* I. §. 21.

§. 4.

Ad tuendam defunctorum memoriam nonsolum requiritur, ut illi in locis separatis ad id consecratis & à vulgari usu distinctis infodiantur, atque tumuli honoratiorum in perpetuum asserventur; verum etiam, ut iis statuæ, monumenta, aut alia piæ recordationis τεκμήρια superstruantur, quæ temporis longævi mordacitas non facile conterere aut absumere potest; quem morem ceu utilissimum refert *Nicol. de sepul. Hebræor.* penes gentes varias *L. II. cap.* 15. penes Judæos *L. IV. C.* 1.; nec non *Jo. Faës in adnot. ad Gyrald. C.* 2.; itidem passim *Aringh. in Rom. subterr.*; qui scriptores hac

hac de materia evolventibus non pauca notatu digna enarrabunt, de quibus fusius hic disserere instituti ratio non permittit. Quando itaque dormitoriis in cœmeteriorum publicorum fundis quæ sunt ordinata & consecrata superimponere monumenta licet, justum est ac æquum; quare non & eadem tumulis quæ templorum in cancellis ædificantur superstruere deberet esse concessum? Prohibitionis rationem sane non video. Hac tamen methodo in isto negotio procedendum, ut hujusmodi statuæ seu potius epitaphia æri saxisve incisa vel parietibus inserantur, vel saltem non erecta ponantur, sed ad tegendas cryptas in ipsos tumulos deponantur, ne spatium templorum coarctetur, & sic multi civium in illo frequentando impediantur. Provoco hic non ad autores, sed ad receptam fere ubivis consuetudinem, quæ asserti veritatem, æquitatem nec minus quam necessitatem facile probabit.

§. 5.

Præterea uti templorum variæ sunt

partes, inter quas præcipuæ chorus, Gremium, Narthex, Porticus; ita etiam in singulis cadavera pie defunctorum defodere licet; non tamen sine discrimine. Sunt enim in hoc terrarum orbe omnes omnino viventes, id quod jam supra evictum, vel honoratiores, vel plebeji; hi vel integræ famæ, vel infames: illi vel superioris ordinis, f. Clerici sint, f. Laici, vel inferioris: in futuro itidem seculo teste *Paulo* 1. *Corinth.* 15. *v.* 41. *seqq. sanctorum splendor uti solis, lunæ astrorumque erit diversus, ita ut alter alterum claritate superet.* Ex hoc non inepte colligere audeo, nec omnes pie defunctos in templis humandos, nec omnes qui in templis sepeliuntur in locis illorum sacratioribus condendos esse & infodiendos; sed decentis servandi ordinis causa dignos solummodo hoc honore habendos Principes f. Patres Patriæ, Episcopos aliosque reliquorum Clericorum Præfectos. Quid autem in hoc negotio statuendum de Basilicis in cœmeteriis & cœmeteriorum causa exstructis per se patescet ex mox citato §. 11. *Cap. I.*

§. 6.

§. 6.

Uti porro reliquiæ humatorum in dormitoriis hereditariis non sunt inquietandæ, sed intactæ potius perpetuo asservandæ; sic etiam multo magis hoc beneficio gaudere debent illi, quorum ossa templorum cancellis sunt concredita, nec ea à posthumis iterum effodienda, cum à majoribus absque dubio ex causis æquissimis atque sat prægnantibus ipsis intra hos consecratus sit locus quietis; quod facillime quivis ex ante dictis poterit defendere.

§. 7.

Sed veluti quævis regula admittit exceptionem; ita etiam hic quandoque evenit, ut necessitas exhumationem cadaverum in templis sepultorum exposcat, cum vel grex illorum ita excreverit, ut nemo in posterum possit infodi, ni tumuli majorum detegantur; vel altaria, rostra, baptisteria, aliæve ædiculæ aut de novo exstruendæ, aut reparandæ & translocandæ, atque sic dormitoriis imponendæ, eoque ex capite jaciendi funda-

menti causa ossa in illis humatorum denudanda. Hoc itaque si acciderit, ubi hujusmodi reliquiæ denuo recondendæ paucis hic attingere operæ pretium est, cum sane iniquum & satis impium foret, illas vel una cum quisquiliis & sabulo ibi effosso projicere atque profanare, ac sic injuriis ludibrioque omnium animantium exponere; vel etiam promiscue in receptaculis ossium publicorum cœmeteriorum dispergere, atque sic facta majorum, qui tales manes ex pio instituto quasi consecrarunt, sat proterve reprobare. Non sine fundamento itaque statuo, talismodi reliquias in templis sepultorum, cum minimum spatium desiderant, & sic nec humationem recens demortuorum vetant, nec exstructionem sacrarum ædicularum impediunt, denuo in tumulis istis & cavernis, in quibus cadavera fuerunt recondita, esse seponendas, svadente hoc æquitate naturali, jubentibus rationibus Politicis supra citatis.

§. 8.

Ast si templa destruantur, & in alium

alium locum quasi transferantur, quid tunc juris circa constituta in illis dormitoria? Apte defendit *Jo. Faës in adnot. ad Gyrald. Cap. IV. p. m.* 252., quod translatio cadaverum legibus regulariter vetita iisdem approbetur necessitate jubente vel potiùs cogente, & quidem hac ratione, ut ea magistratus autoritate fiat; quæ decisio nitide ad præsentem applicanda quæstionem. Statuo itaque, demortuos in templis humatos, cum illa ex causis variis obvenientibus destrui in alioque fundo exstrui necessario debent, itidem esse transferendos, ac intra septa restauratarum Basilicarum recondendos. Vel, si demum id magistratui displicuerit, tumuli tamen pristini quam diligentissime sunt custodiendi, & nulli usui profano dicandi, quia, uti scribit *Cicero, sepulcrorum sanctitas in ipso solo est, quod nulla vi moveri, neque deleri debet, cum, licet cætera extinguuntur, sepulcra sanctiora fiunt vetustate. Orat. Philipp. IX.* Quanto magis itaque sancta sunt judicanda istiusmodi loca, in quibus præter tumulos pie defunctorum ma-

gnatum patrumque patriæ olim positæ fuerunt ædes sacræ? æquitas sane rei sine testimoniis optime se defendit; ideoque acquiesco.

§. 9.

Quod restat: olim quidem gentes æque ac Hebræi dormitoriis suis præsertim hereditariis sacella & templa superimponere consuevisse evincit *Jo. Nicol. de sepulcr. Hebr. L. II. C.* 15. & *L. IV. C.* 7.; qui tamen mos ævo nostro propter superstitionem inevitabilem exinde proventuram merito exolevit. Sed num in templis hodiernis sepulcra familiaria f. hereditaria constituere justum sit ac liceat, hic disquirere non est nauci. Sit tamen ut sit, negative respondeo: idque ex his potissimum causis; quia si istud concederetur brevi templa mortuis confererentur, ita ut usus illorum primarius atque præcipuus vel plane esset cessaturus; vel locus cadaveribus pie defunctorum patriæ patrum vix sit superfuturus. Quin etiam humatio in ædibus sacris quadam ratione referenda inter privilegia, quæ non extendi debent ad heredes

redes *l.* 196. *ff. de R. J.*; cum intuitu meritorum susceptorumve pro tuenda salute publica laborum certis personis tribuuntur, ideoque neutiquam vindicari simul possunt ab illorum heredibus. Sic itaque re comparata haud inique meo quidem judicio defendi, dormitoria familiaria minus licite in templis constitui, obstante ratione Ecclesiastica æque ac Politica.

§. 10.

Sed restant pauca, inter quæ recensenda sepulcrorum in Basilicis ædificatorum reparatio. Nitide sane scribit *Valer. Max. L. V. C.* 3. *Dandi & accipiendi beneficii commercium, sine quo vix vita hominum constat, perdit & tollit, quisquis bene merito referre gratiam negligit.* Nunc me judice nemo majora atque potiora merita potest allegare, quam qui fere nocte dieque de protegenda Ecclesiæ atque patriæ salute & incolumitate meditatur; ideoque nemini major gratia ab ejusdem civibus ac incolis referenda, quam eidem, ni contra naturam delinquere & se ipsos quibusve beneficiis indignos red-

reddere velint. Hoc evicto, nemo non videbit, cui reparatio dormitoriorum in templis exstructorum incumbat ac quasi sit demandata; illis scil., quibus defunctus maxime profuit, aut Ecclesiæ, aut patriæ aut alii collegio, cui inserviendo est consumtus. Non enim sufficit consecrare reliquis Mæcenatum loca sepulcralia separata, verum etiam requiritur ad contestandum gratum animum, ut dormitoriorum ruinæ diligenter reparentur, ut fama promerita, quæ post obitum in hoc seculo sola superesse potest, percerta τεκμήρια asservetur, & istorum intuitu quotidie in mente posthumorum reviviscat.

§. II.

Sed quia protervia Catalinaria non raro etiam penetrat ad res sacratissimas, ita, ut ne Oracula quidem divina, &, si hac vocula uti licet, fana ipsa intacta maneant, non inique hoc loco disquirendum erit, an ista atque in istis res religiosas violans delinquat contra Jus Gent. Est utique communi gentium consensu introductum, ut utraque ab omni injuria atque violatione

tione salva & firmissima quasi sanctione defensa esse debeant, teste præ reliquis *Kirchmann. de funerib. Rom. append. C.* 3. *p. m.* 683.; quod etiam à ferissimis & minus moratioribus populis ut plurimum exactissime est observatum; quippe qui ne tempore quidem belli in tumulos humatorum tam extra cancellos sacrarum ædium, quam intra eosdem desævire sunt ausi, uti id ex variis scriptoribus facillimo negotio defendi posset, & quodammodo defensum est supra ex *Nicol. de sepulcr. Hebr.* Quantum itaque nostro ævo non solum contra J. Gent., sed quoque contra humanitatem atque decorum peccant illi, qui sepulcra in templis ædificata violare, aut plane diruere ac cadavera ibi recondita denudare religioni sibi non ducunt. Evolvant isti *Gregor. Tholosan. qui L.* 33. *Syntagm. Jur. univers. Cap.* 23. *n.* 29. eleganter hac de re scribit: *sepulcrorum magna visa est antiquitus religio, ut de illis non minus, imo magis quam de habitatione quamdiu vixerint soliciti fuerint; & caverint, ne ullo modo polluerentur.*

§. 12.

§. 12.

Quid multum enarrem: exuunt violatores dormitoriorum præsertim in templis exstructorum humanam naturam, & certa ratione pejores sunt sacrilegis; cum hi res divino usui dicatas animo lucrifaciendi abripiunt; illi vero plus quam ferina immanitate inducti non sacras solummodo ædes profanare atque inquinare, verum etiam haud raro sine spe lucri manes pie defunctorum inquietare non erubescunt: eoque ex capite ultimo supplicio æque ac sacrilegos eosdem afficiendos non sine fundamento statuo. Nec interest, an per destructionem monumentorum, an per spoliationem cadaverum, an alio modo violatio sit facta: sufficit illius reos carcinomata & pestes esse patriæ, quæ è medio summo jure tollendæ. Conf. *Joan. Faës in adnot. ad Gyrald. Cap. IV.*

Cap. VI.

De dormitoriis in viis publicis.

RUBRICÆ.

§. 1. *Quæ dicantur via publica* Heer und Landes-Straſſen.

§. 2. *Ad quem uſum & cujus juris ſint.*

§. 3. *An in iis cadavera humare liceat.*

§. 4. *Quæ cadavera ibi humentur.*

§. 5. *An per illationem mortui fiant loca religioſa.*

§. 6. *An, cur & quando cadavera ibi humata iterum exhumare liceat.*

§. 7. *An ad hoc neceſſaria magiſtratus autoritas.*

§. 8. *An proficuum ſit dormitoriis in viis publicis conſtitutis ſuperſtruere monumenta.*

§. 9. *Si ſuperſtructa, an aſſervanda, & à quo reparanda.*

§. 10. *An acrius puniatur delinquens in hujusmodi via publica ubi cadavera ſunt humata, quam in alia.*

§. 1.

QUia potiſſima ad jus ſepulturæ ſpectantia capita enucleare mihi propoſui; utique etiam pergendum erit ad dormitoria in viis publicis

blicis quæ solent monstrari. Orturus autem hanc tractationem, pauca de ipsis publicis viis erunt præmittenda, quo deinde hac de re enarranda eo melius quam paucissimis possint exponi. Dicitur via in genere quasi veha, cum sit solum per quod vehitur; & est nomen in villis natum, quæ urbibus priores esse traduntur: Germanis vocatur ein Weg, Fahr-Weg, Fahr-Strasse. Dispescitur illa in publicam atque privatam: hæc dicitur etiam agraria, Germ. ein Feld- oder Holtz-Weg; & est vel in agris ceu servitus, de qua agitur *t. ff. de servit. præd. rust.*; vel ducit quidem ad agros, ita tamen, ut per eam omnibus permeare liceat, quam JCtus publicam vult esse *l. 2. §. 22. & 23. ff. ne quid in loc. publ.* Illa vero, scil. via publica, describitur, quod sit talis, qua omnes homines utuntur, ad diversa euntes loca; sive, quæ habet solum publicum relictum ac directum certis finibus in latitudine ab eo, qui jus publicandi habuit, ad hoc, ut in ea publice eatur, commeeturque; dicitur alias regia, Prætoria, consularis *l. c.* Ger-

man.

man. eine Land-und Heer-Strasse, quia tam ampla & patula debet esse, ut integer exercitus, ein Kriegs-Heer, erectis hastis & vexillis per eam incedere possit; quibusdam in locis vocatur Heyden-Strasse ab Ethnicis s. Paganis, a quibus vias militares ante Christum natum stratas vulgus credidit teste *Miræo in Cod. Donat. fol.* 87. Appellantur etiam denique viæ publicæ Gleits-Strassen, freye, offene, Gemeine Strassen, quasi publice patentes; & interdum, ut intelligatur eas esse regias, Kayserliche, item des Heiligen Römischen Reichs Strassen und Baanen. *Besold. Thesaur. pract. voc.* Land-Strasse.

§. 2.

Quod igitur primam viarum publicarum determinationem attinet, ea non ab arbitrio privatorum, sed autoritate legis, populi, aut magistratus dependet; ideoque princeps dispicere debet, ut per omnes partes vel regiones civitatis suæ s. territorii cui præest recte constituantur. Publice namque interest ob mutuam maxime commer-

merciorum facilitatem, ac multifariam iter facientium utilitatem, tam civibus quam peregrinis, certum atque expeditum ubique patere transitum. Competit itaque soli Domino territoriali jurisdictio in vias publicas, eidemque incumbit cura securitatis publicæ, ut illa sarta tectaque conservetur; eoque ex fonte refertur etiam jus viarum publicarum ad Regalia minora, quæ juri inferioribus imperii statibus quæsito cohærent, & vulgo Regalia fisci audiunt, propter commoda scil. & emolumenta quæ ex stis percipiuntur: uti id ipsum fusius explicant varii J. Publ. scriptores.

§. 3.

Hactenus dicta hac de causa sunt allegata, quo ea quæ insequentur felicius cohæreant. Citato enim fine constitutarum viarum publicarum præcipuo atque primario; pergendum etiam utique ad hæc, quæ in illis licite fieri possunt vel non. Explicatis autem plerisque huc spectantibus negotiis tam ab *Ahasver. Fritsch. in tract.*

de

de regal. viar. publ. jur. quam ab aliis autoribus pluribus; hac vice solummodo an in viis publicis cadavera humare sit concessum paucis exponam rationibus æque ac exemplis. Licite hoc fieri probabo facillime, si enarravero, quod tumuli in regiis viis consecrati prætereuntibus & peregrinantibus in animum vocare possint miseram vitæ nostræ conditionem, quæ a mortis insultibus nullo tempore nulloque loco satis est munita, & præterea etiam tueantur memoriam heroum aliorumve præclarorum virorum ibi sepultorum in mentibus viatorum; aliisve denique piis meditationibus præbeant ansam. Defendunt hunc morem præter reliquarum gentium consuetudinem Judæorum majores, ex quorum numero, ut reliquos taceam, allegabo solummodo exemplum Jacobi, qui conjugem suam Rahelem sepelivit ad viam quæ Bethele ducit Bethlehemum *Gen.* 35. *v.* 19.

§. 4.

Sed quamvis liceat cadavera sepelire in viis publicis; non tamen

promiſcue id eſt conceſſum, ne cœmeteria in iis conſtituantur. Fit quippe hujusmodi humatio tempore vel belli, vel pacis: illo infodiuntur ibi exuviæ heroum aut præfectorum militum qui in acie pugnantes ſuccubuere, hoc fine, quo ipſorum memoria in animis prætereuntium & epitaphia aut cippos iisdem poſitos contemplantium quotidie quaſi reviviſcat, cum ſanguine famam ſibi promeruerint egregiam. Aſt tempore pacis reconduntur juxta vias publicas ſ. regias aut oſſa illorum, qui à latronibus ſunt peremti, quo nullus non viator atrocia prædonum faſtidiat facinora, &, ſi noverit ubi fugitivi iſti forſan reſideant, poſſit magiſtratui denunciare; aut reliquiæ eorum qui ob delicta patrata per carnificem è medio ſunt ſublati, & violenta morte ad generum Cereris deſcenderunt, quo ſuperſtites ejusdem farinæ homunciones intuitu iſtorum tumulorum deterreantur, & aliquo modo quaſi compeſcantur. Teſtatur hoc & approbat *Conſt. Crim. Carol. V. art.* 192.

§. 5.

§. 5.

Humato autem cadavere in viis publicis, illæ quidem ipsæ religiosæ minus fiunt; sed sepulcrum aut locus determinatus, in quo ossa demortuorum requiescunt, vel dicendus religiosus, vel, si ob facinora occisi ibi recondantur, aliquo modo sanctus, quia eodem jure gaudet, quo loca justitiæ s. executionum, die Hoch-Noth-Peinlichen Gerichts-Plätze, quæ à vulgari usu separata, atque certa sanctione ab hominum injuria sunt munita *arg. l. 9. §. 3. ff. de D. R.*

§. 6.

Evictum jam supra, quod constituta dormitoria denuo profanare aut retegere vix & ne vix quidem sit concessum; idque hoc etiam loco verum, non tamen sine restrictione, cum quævis regula, uti sæpius dictum, admittit exceptionem. Licet itaque sepulta in viis regiis cadavera quandoque iterum exhumare; si scil. in occisis neglecta fuerit inspectio & visitatio vulnerum; vel si tempore belli in ipsa acie infossi duces transferri in dormi-

toria sua hereditaria, aut recondi debeant in Basilicis aliisve locis publicis sacratioribus. Hoc tamen notandum, quod exhumatio istiusmodi vel translatio regulariter suscipienda vel paulo post factam inlossionem, vel post creditam putrefactionem: ne, si in ipsa corruptione fiat, viventes obvii ex tetro aspectu & propullulantibus vaporibus contabescant.

§. 7.

Ideo non privata autoritate licet hac ratione effodiendas reliquias defunctorum denudare: sed utique requiritur cognitio & consensus magistratus, qui in quasvis circumstantias atque ipsius rei naturam apte potest ac debet inquirere *arg. l. 44. §. 1. ff. de relig.*

§. 8.

Constitutis in viis regiis s. publicis dormitoriis eorum qui pro patria decesserunt, monumenta etiam utique & epitaphia licite superstruuntur: ita tamen, ne spatium illarum coarctetur, & sic facultas per eas eundi, ambulandi, vehendi impediatur. Hinc pas-

passim videmus, statuas solummodo, cruces, aliosve hujusmodi cippos esse positos; qui mos non improbandus; cum hac ratione & sepultorum defenditur memoria, & nulli viatorum ponitur impedimentum. Conf. *Nicol. de sepulc. Hebr.*

§. 9.

Sed uti supra demonstratum, ad asservanda consecrata demortuorum manibus monumenta maxime necessaria est illorum reparatio, de qua & intuitu tumulorum hereditariorum atque in templis ædificatorum *Cap. antec.* fusius disserui. Cui autem istorum, de quibus *h. l.* sermo est, competat refectio, ut mihi quidem videtur, dubio caret; cum utique horum memoria, qui vulneribus quin sua internecione patriam defenderunt & liberarunt, tuenda ab his, quibus pax quæsita armis defunctorum. Reliqui ob facinora occisi & in viis regiis sepulti nec promeruerunt epitaphia, nec per consequens illorum refectione indigent, cum eorum memoriam detestabilem satis tuetur furca & rota.

§. 10.

Hoc adhuc addendum, quod Princeps plectere teneatur omnes eos, qui turbant securitatem viarum publicarum, & in iis delinquere religioni sibi non ducunt, uti id exponit *Ahasver. Fritsch. in tract. de regal. viar. publ. J. C.* 12. & decernit *Carol. V. in constit. Crimin. art.* 126. Si itaque complices Catalinariæ pravitatis, prædones latronesve non erubescant juxta sepulcra in viis publicis ædificata facinus aliquod patrare, aut reliquias ibi humatas inquietare, haud est dubium, quin acerbissima pœna sint afficiendi, cum sanctum simul & religiosum locum violant.

Cap. VII.

De dormitoriis in loco prœlii.

RUBRICÆ.

§. 1. *An cadavera occisorum in bello potius sint cremanda quam defodienda.*

§. 2.

§. 1.

VAriarum gentium è medio tollendi cadavera defunctorum mos varius partim fuit olim, partim adhuc eft. Sic ea quædam devorarunt, ut Maffagetæ & Derbitæ; quædam fufpenderunt, ut Colchi & Parthi, quædam in mare projecerunt, ut Lotophagi & Ichtyophagi; quædam canibus, ut Hircani, feris, ut Magi, expofuerunt, quædam igne combufferunt: quippe hac de re fcribit *Lucianus de luctu p. m.* 774. *Græcus cadavera exurit, Perfa defodit, Indus adipe fuillo oblinit, Scytha devorat,* ταριχεύει *munia condit Ægyptius. Atque hic quidem (rem a me vifam narro) deficcatum cada-*

ver convivam & compotorem adhibet. Usitatissimus vero mos testibus variis autoribus variisque Corporis J. Civ. legibus prope plerisque gentibus fuit crematio f. rogo impositio, sicut id demonstratum jam supra. Hoc loco disquiram, an præstet cadavera occisorum in bello sepelire, an concremare, quia illorum utplurimum ita excrescit multitudo, ut humatio non nisi maximo cum labore & tædio viventium fieri vix queat. Sunt qui existimarunt, igne hujusmodi cadavera optime nec sine ratione posse ac debere semoveri; sed his applaudere dubito. Maxima enim sepulturæ apud fideles semper habita fuit dignitas, & maximum censuerunt dedecus ista privari; gravissimum præterea suppliciorum genus est vel vivi-comburium, vel punitorum crematio cadaverum, prout id videmus in sagis & magis, in incestuosis, in Sodomia pollutis, in incendiariis, monetariis aliisque delicta atrocia exercentibus pluribus, qui vivi flammis immolantur, vel enecati comburuntur. Nunc milites qui patriam paren-

parentesque defundunt, atque pro his mortem ſubire non expaveſcunt, digni etiam poſt obitum maximo honore, nec in iſtorum cadavera maleficorum inſtar deſæviendum; ſed illa potius defodienda atque terræ mandanda; quia præterea idem tædium excitatur in eis cremandis, quod in ſepeliendis, ni majus adhuc.

§. 2.

Ad id autem nullum ſolum magis aptum quam ipſe ſatis amplus locus prœlii, vulgo die Wahl-Statt. Ubi enim defenſores patriæ ſteterunt, ubi pugnarunt, ubi vulnerati ſunt, ubi denique ceciderunt, ibi etiam merito illorum cadavera debent requieſcere. Velut mercenarius membra ſua multo jam fractus labore circa meridiem aut veſperam ad revocandum priores vires quam lubentiſſime reponit in eo fundo, in quo colendo ſudavit ſæpe ac alſit, quo intuens illum grata præteritarum ærumnarum recreetur memoria; ita etiam milites, cum ex iis in prœlium euntibus

quæ-

quærere deberes, ubi occiſi humari vellent, absque dubio ſi non omnes ſaltem plerique eſſent reſponſuri: in eo loco, in quo pervicaci fronte hoſtem vincere audentes ſuccumbemus & emoriemur. Accedit, quod, quia utplurimum ob vulnera varia accepta atque ſaniem ex iis promanantem cadavera in prœlio enecatorum prius putreſcere incipiunt quam ſepeliri poſſunt, ſeductio aut translatio illorum non niſi maximo cum periculo & timore contagii ex fœtore orſuri fieri queat.

§. 3.

Nunc quidem tempore pacis vix moris eſt uno plures mortuos in unam cavernam inferre; aſt in bello ob maximam peremtorum multitudinem cadavera ſigillatim infodi ægre poterunt, cum & haud raro ne locus quidem prœlii illa caperet. Ideo exceptis ducibus atque præfectis, iſtisque qui ſingulare virtutis ediderunt ſpecimen, reliqui inferioris ordinis milites gregatim ſunt humandi; ita, ut excavetur fovea ſatis profunda, in iſtam-

iſtamque tres quatuor aut plures pro diverſitate multitudinis occiſorum dejiciantur, terra vel ſabulo, aut, ſi mavis, calce viva tegantur, & ſic juſta pro ratione temporis ipſis perſolvantur. Id ſi fiat, non ſolum decens honos exhibetur patriæ defenſoribus, verum etiam hac methodo cavetur, ne circumjacentes locum prœlii regiones, urbes, vici, morbis peſtiferis polluantur; quod alia ratione effici vix poſſet.

§. 4.

Demonſtratum præterea ſupra, locum profanum per illationem mortui reddi religioſum; idque hic etiam verum. Licet enim de templis æque ac viis publicis, in quibus dormitoria ſunt conſtituta & ædificata, prope aliud defendi; iſtud tamen ad præſentem tractationem nil facit. Utraque enim, quamvis in illis fiat humatio, alium primarium habent uſum, aliusque manent juris: loca autem prœlii in quibus oſſa necatorum conduntur militum eo ipſo quaſi ſacrantur, à vulgari uſu ſeparantur, atque religio-

giosarum rerum naturam induunt. Nam cum penitus cadaveribus consita apparent; dormitoria sunt manium ibi sepultorum itidem ut cœmeteria consensu magistratus & populi tempore pacis constituta atque ordinata; ideoque summo jure vocanda religiosa: nec in iis justæ sepulturæ tradita corpora impune inquietare licet. *arg. l.* 31. *ff. de relig.*

§. 5.

Nec temporis longævitas talia cœmeteria immunitate sua privare potest, pugnante pro illa consensu gentium tacito communi. Nulla enim gens neque tam immansveta, neque tam fera, quæ non, etiamsi vivis haud parcere, tamen mortuos inquietare dubitet. Quivis quippe præsertim ex moratioribus populus ad id potissimum enititur, ut ossa suorum majorum ceu sancta & religiosa asserventur, locusque in quo sunt recondita intactus atque inviolatus etiam à hostibus relinquatur. Nunc tritissima J. N. & G. regula est, quod

quod tibi non vis fieri alteri ne facito, ac v. v. ideoque extra omnem dubitationis aleam positum, singulas gentes in hoc consensisse, ut sacræ æque ac religiosæ res, & per consequens etiam loca prœlii, in quibus cadavera militum sunt sepulta, ab omni injuria munita perpetuo sint asservanda.

§. 6.

Ex hoc facillime liquet, quod nulli hostium sit concessum hujusmodi mortuorum reliquias denudare, in eas desævire, aut aliud quid indecori, injusti atque iniqui tentare; id quod, nisi jam esset supra evictum, variis exemplis facile posset defendi. Hinc nihil addam, præter locum Hug. Grot. qui hac de re satis nitide scribit: *licet J. Gent. merum sacra non excipiat, & loca religiosa violandi impunitatem indulgeat, violari tamen non possunt, nisi religione contemta, quod summa sit ratio quæ pro religione facit. de J. B. & P. l. 3. c. 5. §. 23. C. 11. §. 6.* Confer. *Zouchæi J. inter gent. in fin.*

§. 7.

§. 7.

Multa quidem hic possent adhuc addi, utilia partim, partim curiosa, partim mixti generis: sed ne vel tædio sim lectori longius justo protrahens filum, vel talia forsan enarrem quæ non nisi in Republ. libera enarrare licet, vel denique ansam male de me sentiendi præbeam illis, qui quæstiones subtiliores & disputationes acutas ex quo nescio fonte ægre ferunt: hic merito acquiesco, paucis adhuc annexurus specialiora quædam de sepulcris & rebus religiosis Gotharis.



Tracta-

Tractatio Specialis
De
Sepulcris Gothanis.

Cap. I.

De sepulcris dormitoriisve Gothanis in genere, ac in specie de his quæ monstrantur in templo S. Augustini.

SI verum est illud *Sidon. Apollin. L.* 3. *Ep.* 3. nitidum atque eximium effatum, *quod* scil. *summas in affectu partes sibi usurpet terræ quæ genuit*; profecto nemo non præsentis hujus mei instituti dignoscet rationem. Defenderunt quippe non pauci ante me patriæ & Reipubl. Gothanæ jura, immunitates, curamque occupatam æque circa negotia Politica ac Ecclesiastica satis accurate; nec sine applausu. De rebus vero dictæ patriæ religiosis, dormitoriis, cœmeteriis, cippis, epitaphiisque hereditariis, familiaribus, ac aliis notabilioribus civium nostrorum nullus, ni fallor, hucusque disseruit; cum tamen hæc omnia fere sola sint, quæ nos penes posteros aliquo modo immortales reddunt. Maxime itaque devinctus terræ in qua prognatus titubans exordior præsentem tractationem de rebus religiosis Gothanis, paucis à mortuis quasi revocaturus obtectam atque tumulatam majorum nostrorum bene de Republ. meritorum memoriam; nec minus defensurus piam

illorum recordationem, qui nuperrime ex statione sua & vita discesserunt. Agedum: aggrediar negotium, atque differam de dormitoriis patriis κατὰ τάξιν. Deprehendimus autem talia tam in templis, quam in cœmeterio: priora neque promiscue conceduntur cuivis, neque totis familiis, nec facile extraneis, nec denique aliis nisi bene de Republ. Ecclesiaque meritis, heroumve vestigia majorum, qui recto itinere præcesserunt, prementibus posthumis; ideoque de his faciam initium, recensens epitaphia & cippos in templis positos. Sacellum SS. Trinitati dicatum in arce Fridensteinia in hac tractatione merito primum deberet occupare locum: sed quia illud reliquias Serenissimorum Principum sine ullo tabularum epitaphiorumque splendore in fornice suo asservat, merito aggredior à templo olim Augustino sacro, in quo præter rudera temporis mordacitate prope consumta, atque imagines Glassii, Gotteri, Tribbechovii & Fergii antistitum quondam supremorum, insequentes reperimus cippos.

I. Anno

I.

Anno Dom. 1567.

Donnerstag den 27. Martii.

Ist der Edle und Mannveste

Christoph von Her

In der Belagerung vor Gotha

Unverursachter Weise erbärmlich verwundt, und hernach den Montag nach Exaudi

d. 12. Maji.

binnen Gotha in GOtt dem HErrn entschlaffen

Seines Alters im 24. Jahr/

Welchen der liebe GOtt eine frö:iche Auferste-hung verleihen wolle. Amen.

II.

M. Michaël Julius

Gothanus
Weyland dieser Schul und Kirchen
allhier
26. Jähriger
Collega, Pastor und Superint.
starb 1605. d. 27. Decembr.

Seines Alters

47. Jahr, 5. Wochen, 5. Tage, 17. St.
Ein Vater
aus 2 Ehen 8 Kinder,
Denen GOTT allen und uns eine sellge
Auferstehung verleihen wolle.
Amen.

III.

III.

Salomon Glassius
Sondershuso Thuringus
SS. Theol. D. Superint. Gen.
nat. A. Christ. MDXCIII.
denat. Gothæ
d. xxxi. MY. MDCLVI.
Theologiæ Doctor Saxo-Goticique
Ducatus
Qui Superintendens tum
Generalis erat,
Cui nuptæ pietas, humilis
Sapientia, linguæ,
Sub saxis celebris GLASSIUS
hic recubat.

Psal. 34. v. 23. Der Herr erlöset die Seele seiner Knechte / und alle die auf ihn trauen, werden keine Schuld haben.

IV.

Vir plurim. Reverend. & Excell.

Dom.

Christoph. Brunchorst

Erfurti an. MDCIV. 10. Novemb. natus,

Aulæ Saxo Gothanæ concionator,

Consistorii Assessor,

Litterarum imprimis sacrarum scientia & usu clarus,

Totus pietati & promovendæ Christi gloriæ addictus,

Ambitione & avaritia

alienus,

Integer vitæ,

Prudens, mansuetus, benignus, gravis, omnibus gratus,

Ann. MDCLXIV. 26. Mart.

Obdormiens

Hoc tumulo clauditur.

V. Vir.

V.

Allhier
ruhet der erblaßte Cörper
Frau
Catharinen Marien
gebohrnen Sacerin,
Herrn
Georgii Nitſchii
Hoch-Fürſtl. Sächſ. General-Superint. wie auch Aſſeſſoris des Ober-Conſiſtorii zum Frieden-ſtein.
In die 15. Jahr hertzwerth gewesene
Eheliebſte,
Ward gebohren in Wolffenbüttel
d. xi. Decembr. MDCLXXVI.
ſtarb in der Geburt beym neundten Kinde
d. xi. Jun.
allhier in Gotha
An. MDCCXI.

VI.

Unter diesem Steine
ruhet
die weyland Hoch-Edle
Frau
Johannette
gebohrne Schmiedin/
Herrn
Georgii Nitschii
